ANALECTA CRITICA

QUAE AD TESTIMONIA VETERUM TERENTIANA SPECTANT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XIV MENSIS MAJI A. MDCCCLXXII

PUBLICE DEFENDET

ADOLPHUS STEUBING

VISBADENSIS.

MARBURGI CATTORUM

TYPIS B. E. SIPMANNI.

MDCCCLXXII.

Leopoldo Schmidt . Julio Caesar

viris summe honorandis

has studiorum primitias

D. D. D.

auctor.

Quamquam quae fata fabularum Terentianarum libris mandatarum exstincto auctore fuerint nescimus, tamen exemplaria hujus poëtae multum inter manus veterum, neque solum commentatorum, de quibus cf. Umpfenbachi praefat. in ed. Terent. Berol. 1870 p. 37 sq., versata esse apparet et e satis magno numero eorum scriptorum, qui poëtam vel auctorem rerum quas effingunt vel propter singularia ejus de litteris Latinis merita laudant, et ex grammaticorum rhetorumque latinorum libris, quibus saepissime verba ‚puri sermonis amatoris' inspersa sunt.

Atque illorum quidem ipsi Terentio proximus — quod ad operum, quae adhuc manserunt, aetatem attinet — **M. Tullius Cicero** esse videtur, quem cum poëtas latinos et omnibus qui eruditi haberi de fin. I. 2, 4. 5, et eis qui vere oratores fieri vellent de orat. III. 10, 39 legendos esse moneret, ipsum legendi eos fructum ita, ut menti ejus magna pars fabularum Terentianarum inhaesisset (cf. Tusc. III 2, 3), decerpsisse puto.

Itaque in Ciceronis ad Atticum epistolarum lib. VII ep. 3, 10 legimus:

„Venio ad Piraeea, in quo magis reprehendendus sum, quod homo Romanus ‚Piraeea' scripserim, non ‚Piraeum' — sic enim omnes nostri locuti sunt —, quam ‚in' quod addiderim; non enim hoc ut oppido praeposui, sed ut loco, et tamen Dio-

nysius noster et, qui est nobiscum, Nicias Cous non rebatur oppidum esse Piraeea.. Sed de re videro. Nostrum quidem, si est peccatum, in eo est, quod non ut de oppido locutus sum, sed ut de loco, secutusque sum, non dico Caecilium,

‚mane ut ex portu in Piraeum‘

— malus enim auctor Latinitatis est —, sed Terentium, cujus fabulae propter elegantiam sermonis putabantur a C. Laelio scribi:

‚Heri áliquot adolescéntuli coimus in Piraéum‘

et idem:

‚Mercátor hoc addébat, captam e Súnio.‘

Quodsi *δήμους* oppida volumus esse, tam est oppidum Sunium quam Piraeus.“

Proximum autem horum versuum Terentianorum e duobus Eunuchi I 2, 34 et 35, compositum esse perspicimus Quos cum poëta hoc modo scripsisset:

„Mercátor hoc addébat: e praedónibus,
Unde émerat, se audísse abreptam e Súnio,“

Ciceronem de industria in unum eos conflavisse existimem, ut quam brevissima oratione rem quam contenderat exemplo allato sustentaret, quoniam ea pars periodi quae antecederet jam aliquantum impedita esset. Hoc quamquam ita factum esse pro certo affirmare non audeam, fidem tamen huic opinioni id mihi videtur facere, quod orator non male rem instituit pro verbis „e praedonibus, unde emerat, se audisse abreptam“ dicens „captam,“ quo uno vocabulo homines puellam praedam secum duxisse, neque eam vel vento vel fluctibus Sunio ablatam esse demonstratur. Namque auctor cum senarium voce „abreptam“ non minus bene complere (cfr. C. F. W. Mueller plaut. Pros. p. 282) potuisset, ea re quam modo dixi commotus „captam“ verbum praetulisse videtur.

Accedamus nunc ad alterum versum Terentianum, quem supra sic ut in novissima epistolarum quae vocantur ad Atticum editione Baiteriana legitur exhibuimus, cujus loco codex Mediceus praebet haec mutila verba: „heria cum imus in pi-

raeum," atque in margine ejus adscriptum est: „aliquot adolescentuli coimus." Quae ‚disjecti membra poëtae' deprompta sunt e Terentii Eunucho, in qua fabula legimus III 4, 1:

„Héri aliquod adolescéntuli coíimus in Piraéo,"

ubi Bembinus quidem et nonnulli alii boni codices „coimus" habent, sed auctore Bentleio cum libris Victoriano, Basilicano, manu secunda Vaticani Umpfenbachius levissima sane mutatione „coiimus" scripsit. Ea tamen mihi non videtur opus esse, quoniam contractam formam perfecti ‚ivi' aliis locis Terentianis reperimus. Cf. Neue: Formenlehre der lateinischen Sprache II. p. 404. Faërni adnot. ad Andr. III. 4, 12 Neque in explicando emendandoque versu, qualem Ciceronis codex Mediceus nobis proposuit, eidem viro doctissimo et praeclarissimo scribenti in praefat. ad Terent. edit. p. XLVII „Contra contractos in unum versus Eun. I. 2, 34. 35 non dilataverunt librarii: quem locum si memoria falsum Ciceronem attulisse arbitreris, auctoritatem infringas lectionis, quam eodem loco dedita opera requisitam afferre videtur, se ipsum arguens quod ‚*in Piraea*' dederit, non cum Terentio (Eun. III 4, 1) ‚*in Píraeum*': ubi accusativum ne Donatus quidem agnoscit" assentiri possumus.

Atque de altero quidem loco ab Umpfenbachio citato jam vidimus, in dijudicanda antem fortuna quae contigerit ei, de quo nunc agimus, primum hoc tenendum esse videtur, versum 1 Eun. III. 4 in libro Bembino hoc modo scriptum esse:

„Heri áliquod adulescéntuli coímus in Piraéo."

Quam dicendi rationem unice veram esse — nam supra vidimus „coimus" facile defendi posse — optime Bentleius, vir summo ingenio praeditus, evicit hac ratiocinatione, quam in adnotatione editionis Terentianae suae instituit: „Omnes (libri) ‚Piraeo,' non ut nunc legitur apud Ciceronem ad Attic. VII. 3 ‚Piraeum.' Recte: non enim ex urbe in Piraeum, sed in Piraeo, ubi custodes erant publice (II 2, 59) ‚Coierunt, convenerunt, consenserunt, pepigerunt'."

Quodsi apud Ciceronem „in Piraeum," quae quidem dicendi ratio in verborum Terentianorum continuatione ferri non potest,

quia sequuntur verba: „In hunc diem ut de symbolis essemus“ e. q. s., scriptum invenimus, facile primum eo inducimur, ut M. Tullium memoria falsum fuisse cogitemus. Quam rem Umpfenbachius lectionem ‚in Piraeum,‘ aiens, dedita opera requisitam afferri videri, cum Cicero se arguat, quod ‚in Piraea, non cum Terentio ‚in Piraeum‘ dederit, in disceptationem ac controversiam vocat. Id vero vir doctissimus injuria mihi videtur facere, quandoquidem investigare nequeo, ubi Cicero non ‚in Piraea‘ sed ‚in Piraeum‘ Terentium scripsisse significet. Ne fallamur ipsa verba oratoris clarissimi perscrutemur.

Scriptor per litteras cum Attico, quoniam grammaticus sit, hanc quaestionem instituit, utrum urbis nomini praepositionem addere liceat necne. Oppida autem esse tam Sunium quam Piraeum, quia uterque *δῆμος* sit. Et ipse igitur in eam rem inquirens primum a reprehensione, quam ille in eum per litteras vertisse videtur, se defendit hoc modo: quod (ad Attic. VI 9, 1) „in Piraea“ scripsisset, id ea de causa a se factum esse, quia non ut de oppido, sed ut de loco locutus esset, in qua re etiam Dionysius et Nicias Cous secum consensissent. Magis autem a se in ea re peccatum esse pergit, quod graeco accusativo ‚Piraea,‘ non latino — i. e. „sic enim omnes nostri locuti sunt“ — ‚Piraeum‘ usus esset. Exempla deinde latine declinati ‚Piraei‘ verbi exhibere viro eloquentissimo, quoniam multa omnibus hominibus Latinis in promptu erant, plane supervacaneum fuisse videtur. Si vero ea attulisset, quis est qui putet eum sententiam suam, cum paulo post iterum „Piraea“ scripsisset, non amplius defensurum fuisse? Nonne magis necessarium Attico videri poterat exempla proferri, quibus Latinos auctores verbo graece declinato usos esse demonstraretur, quam Ciceronem ipsum ab adversariorum parte stantem latine „Piraeum“ scribi oportere post multorum verborum intervallum ostendere? Quod quoniam non facit, oratorem praeclarum putare intelligimus licere quoque Piraea diceve. Quam rem Attico adeo persuasam esse sumit, ut nullum jam vocabulum de ea quaestione, quae in formando verbo versetur, sibi opus sit

addere. Itaque transit ad id, quod „rem„ dicit esse; hoc est enim: num omnes Romani Piraeum atque Sunium oppida an loca esse existimaverint. In qua quaestione dijudicanda dicendi usu bonorum auctorum non tam Caecilium quam Terentium secutum se esse profitetur. Cum igitur jam ex sententiarum inter se connexu appareat M. Tullii nihil interfuisse qui casus apud Terentium legeretur, dummodo praepositionem cum oppidi nomine conjunxisset, id prorsus ea re evincitur, quot illud „in Piraeum“ alterem exemplum e Terentio desumptum excipit. In quo versu neque idem casus atque in primo illo Caeciliano, neque eadem praepositio atque in utroque antecedente invenitur.

Quamquam autem scriptorem epistolae in recordatione versus errare potuisse concedendum est, id tamen minime verisimile esse paucis demonstrare conabimur.

Modo enim accusativum „Piraeum“ e Terentio exhiberi Ciceronis non retulisse inde maxime intelleximus, quod „e Sunio“ sequitur. Deinde hoc tenendum esse videtur: Ciceronem verba poëtae in altero quidem exemplo Terentiano mutasse, ut supra vidimus, attamen eum memorem fuisse et quae significarent et quomodo cum eis, quae vel antecedunt vel sequuntur, cohaererent. Credamusne igitur eundem altere loco, quem ex eadem fabula desumpsit, cum incespiset quidem ab his:

„Heri áliquot adolescéntuli coímus in Piraéum“

sed verborum, quae sequuntur:

„In húnc diem ut de symbolis essémus“

oblitus esset, miro modo dormitasse? Primum autem si non de pactione aliqua in Piraeo inita, sed de itinere potius illuc facto cogitasset, plane nescius fuisset non dico vocabulorum sed sententiae versus insequentis. Quod siquis sumit, estne credibile Ciceroni eam sententiam: homines Athenienses in illum locum convenisse, ut postero die ibi convivium haberent, placuisse? Neque solum immemor versus, qui sequitur, orator clarissimus, si ‚in Piraeum‘ scripsisset, dicendus esset, sed etiam ignarus et hujus scaenae et deinceps alterius, in cujus fine Antipho — qui verba „Heri-Piraeo“ loquitur — et Chaerea adolescentes

ad convivium ituros se esse profitentur. Cf. III 5, 59 sqq. Id vero is, qui opinetur Ciceronem paucorum verborum, quae sequuntur „in hunc diem," oblitum esse opinatur, credat necesse est. Itaque si scriptorem „Heri . . . in Piraeum" tradidisse putamus, illum vel rerum, quae postea in hac fabula aguntur, immemorem fuisse — quippe qui versum ab „heri" non ab „hodie" adverbio incepisset — dicere debemus, vel si orator clarissimus, quamquam quae consequerentur novisset, tamen quidquam, quod rebus antecedentibus minime aptari posset, scripsisset, summae levitatis eum fuisse arbitrari cogimur. Sed tamen eam negligentiam altero loco Terentiano, ubi pro „abreptam" verbum „captam," quod et versum et sententiam reficeret, interposuit, quamquam major hic datus erat peccandi locus, non conspicimus. Denique non vereor, ne quis eum tam malum ac stultum, ut falsum exemplum illius dicendi rationis consulto amico afferret, fuisse putaturus sit, quoniam Attico libros Terentianos quotidie inspiciendi facultas certe data erat.

Itaque quam misere reliqua pars versus in Petrarcae apographo truncata sit considerans ne verba „in Piraeum" quidem integra esse a librariorum inertia arbitror, sed paene pro explorato habeo eos, cum non intellexissent, quid ‚coire alicubi' esset, Ciceronis manum, qua versus Terentianus recte scriptus erat, mutavisse.

Jam vero etiam duos alios locos Terentianos Umpfenbachius a Cicerone minus recte citatos esse, cum vel librarii vel editores operum Tullianorum ea deliquissent, illi ipsi, quod nimirum auctorem eloquentissimum perfacile in minutiis recordatione falli potuisse opinabatur (cf. praef. p. 46), culpae vertit. Quamvis enim Eunuchi III 1 versus 50—55 Terentiani cum eis, quos Cicero in earundum epistolarum quae vocantur ad familiares libri I 9, 19 hoc modo exhibet:

„Ubi nóminabit Phaédriam, tu Pámphilam
Contínuo . siquando ílla dicet ‚*Phaédriam*
Intrómittamus cómmissatum': ‚*Pámphilam*
Cantátum provocémus' " e. q. s.

congruant, nihilominus editor praestantissimus fabularum Terentianarum praef. p. 47 „Eun. III 1, 52 inserto *,tu'* (cum Bembino), inquit, oratio recta commendatur, metrum turbatur." Attamen Baiterus in apparatu critico ad hunc locum indicans: „*,pamphilam'* Mediceus, *,tu Pamphilam'* editio Klotziana" illud „tu," quod versus non patitur, in codice Mediceo plut. XLIX num. IX, qui ad restituendas hujus generis epistolas unicus fons est, non reperiri dilucide testatur. Neque dubium est, quin auctoritas novissimae viri editionis prioribus anteponenda sit, cum ipse in praefatione voluminis noni editionis Tauchnitzianae affirmet: illum unum codicem Mediceum et olim se in curanda altera editione Orelliana secutum esse et tunc magis etiam ejus vestigia pressisse, postquam ipse eum tractaverit et de multis, quae antea dubia fuissent, jam certior factus sit. Qua re in libro Bembino „tu" in versu 52 ex errore librarii, cujus oculis „tu Pamphilam" in versu altero antecedente obversabatur, originem duxisse videtur. Denique ne codici Mediceo v. 50 „nominavit" exhibenti assentiamur, ratione prohibemur, quae inter hoc et reliqua quae sequuntur tempora intercedit. cum de re futura sermo sit.

Leniter quidem immutatus est versus Terentianus, quem in Ciceronis de fin. V 10, 29 reperimus, sed tamen eadem ratione conformatus, qua in codicibus poëtae quattuor recensionis Calliopianae exstat (Heaut I 1, 28):

„Mihi síc est usus: tíbi ut opus est factó face."

Quem senarium abjecta littera S verbi ,opus' (quod licere dicit praeter alios C. F. W. Mueller: Plaut. Pros. p. 298, 1. 306.) non minus bene legas, quam versum libri Bembini et Victoriani, qui est:

„Mihi síc est usus: tíbi ut opus factóst face."

Umpfenbachium autem, virum doctissimum, qui Ciceronem „Mihi sic usus est" transposuisse opinatur in praef. ed. Ter. p. 47, nescio quae res, quandoquidem Baiterus et in editione altera Orelliana et in Tauchnitziana libros optimos „est usus" exhibere testatur, in fraudem pellexit.

Versus Adelph. I 1, 35:

„Venit ád me saepe clamitans: *‚quid agis Mício‘?*“ prorsus eodem modo in omnibus libris Terentianis, qui nostris oculis subjecti sunt, scriptus est, quo eum Donatus, cum diceret „Congrue postquam *‚saepe‘* dixit adjecit aptius verbum non dicens *‚clamans‘* sed *‚clamitans‘*,“ in suis codicibus legisse videtur. Porro autem id ipsum ‚clamitans‘ verbum in Ciceronis de invent. I 19, 27 codicibus quoque exstat. Neque tamen a Terentió hoc scriptum esse, quoniam senarius eo admisso turbatur, existimari licet, sed Bentleium „clamans“ reponentem rectum vidisse judicabimus.

Quamvis vero mirum in modum veterum testimonia et omnes libri manu scripti in re prava nunc conspirent, equidem ego liberans M. Tullium ab hoc crimine in numerum eorum mendorum, quae non ab auctore sed a libariis operum ejus originem duxerunt, id referre maluerim. Quarum germanae Ciceronis manus commutationum cum Umpfenbachius praef. p. 46 „quam facile, aiens, librarii lectione poëtae assueti, si a Cicerone Terentiana aliter atque in ipsorum mentibus inhaerebant citata reperiebant ad mutationes inducebantur vel ad locum plenius exscribendum invitabantur“ duo statuerit genera, versuum Terentianorum largius excerptorum in operibus Ciceronianis nonnulla sane exempla ad rem comprobandam attulit. Namque quod ad hoc genus attinet e. gr. partem versus 25 Andr. I 1 „Liberius vivendi fuit potestas“ a librariis additam esse significavit, quia in uno codice Trossi, qui inter eos, qui Ciceronis libros de inventione inscriptos praebent, inferioris ordinis est, extet. Sed nullum locum Ciceronianum nobis proposuit, ubi vocabula Terentiana a scribis depravata sint. Nos vero cum supra Eun. III 1, 1 „in Piraeum“ librariis vitio dandum esse viderimus, vix et aegre nunc eo induci possumus, ut oratorem clarissimum, qui etiam in oratione soluta sententias numerose finire callebat cf. de orat. III 50, 191 sqq., orat. 63, 213 sqq., quemque Rufinus p. 387 Gaisf. primum nominavit in numero eorum, qui mensuram seu *μέτρον* in fabulis Terentii et Plauti

esse dixissent, obsecutum auctoritati codicum Terentianorum, qui aetate sua extabant, tale mendum quod metrum pervertat descripsisse arbitremur. Neque memoriter tradentem hoc eum praetermisisse probabile esse videtur [1]). Verum quoniam in libri I de invent. 23, 33 particulam illam versus 25 Andriae I 1 additiciam esse reperimus, haud procul nobis a veritate abhorrere videmur, si vocabulum „clamitans" in locum „clamans" verbi, quod Cicero recte scripserit, ab aliquo librario secuto lectionem versus Terentiani, quae temporibus ejus vulgata erat, vel a grammatico aliquo eadem ratiocinatione qua Donatus ducto suppositum esse sumimus.

Denique in numero earum elocutionum, quas Cicero e fabulis Terentii desumpserit, „percussit animum" fertur, quae in epist. ad Att. IV 8^{b}, 3 omisso „ilico" vocabulo intercedente illo aput poëtam (Andr. I 1,98) reperitur. At num vere auctor epistolae hanc translatam dicendi rationem a Terentio repetiverit, id mihi quidem quam maxime dubium esse videtur, quandoquidem ipse alias eadem ratione loquendi utitur; velut ad Attic. VI 9,1: „Percussus vehementer" ab eo usurpatum est. Ibidem III 12 legimus: „Percussisti me etiam de oratione prolata, cui vulneri medere si quid potes." De orat. II c. 87 sub fin. „Utendum est imaginibus agentibus, acribus, insignitis, quae occurrere celeriterque percutere animum possint." Licet quoque conferre Tusc. V 11; pro Mil. c. 29 „quonam modo ille vos vivus afficeret, qui mortuus inani cogitatione percussit?"

Inter ea quae Umpfenbachius monuit de locis **Varronianis**, qui versus Terentianos nobis servaverunt, duae praecipue res sunt, in quibus dijudicandis mihi liceat exponere quid ego paullo aliter atque vir doctissimus sentiam.

In testimonia Terentiana Varronis primum editor optimus

---

[1]) Namque haud facile contendas Ciceronem metrum unius illius versus cum reliquos omnes, quos e Terentii fabulis excerpsit, ab hac parte integros servasset, turbavisse. Dolemus, quod hanc rem adhuc ignotam, quam observare potuimus, serius nobis in mentem venit dignam esse quae commemoretur.

retulit ad Phormionis V 6, 10 hunc Festi locum, quem in libro XX eorum, qui ,de verborum significatione' inscribuntur, p. 372 ed. O. Mueller. invenimus:

„,*Vapula Papiria*' in proverbio fuit antiquis .... Plautus in Feneratrice .... *liberta salve vapula Papiria* .... Aelius hoc loco ,*vapula*' positum esse ait pro ,*dole*' Varro pro ,*peri*' teste Terentio in Phormione: ,*num tu* ..... *resipis verbero*'?"

Cum vero versus 10 Phorm. V 6 in libro Bembino hic sit: Ge. „Vapula bis An. Id quidem tibi jam fiet, nisi restitis, verbero," et reliqui codices cum eo fere omnes congruant ita tamen, ut pars „vapulabo", pars „vapulabis", omnes „resistis" praebeant [2]), locum Festianum ad constituenda verba poëtae summi momenti esse apparet. Quod cum jam Bentleius, vir ingeniosus, vidisset, Festi vel Varronis auctoritatem secutus versum emendando codicum verba hoc modo restituit:

„G. Vápula. A. Id quidem tíbi jam fiet, nísi resistis, vérbero?" Qui septenarius trochaicus et quod ad sententiam et quod ad metrum attinet optime se habet.

Nobis autem etiamsi Varonem de Pho. V 6, 10 egisse concedimus, tamen aspicientibus voces, quae Terentianae habendae sunt apud Festum, quarumque praeter „verbero" nulla cum codicum nostrorum lectione congruit, obscurum erit, primum qua ratione Festus versum legerit, quandoquidem vocabula „num tu" in eo non reperiuntur, atque nescimus quid „resipis" hoc loco sit. Deinde si Varronem „vapula" legisse cum Bentleio consentientes existimamus, prorsus videtur dubium esse, unde Varro, clarissimus ille et doctissimus veterum grammaticorum, initium citandorum verborum Terentianorum fecerit, quoniam „vapula" prima est vox versus, de quo nobis sermo est. Neque O. Muellerus ante vocabula „num tu", sed post ea nonnulla alia, inter quae „vapula" fuisse videtur, in codicibus interci-

[2]) Nam in nonnullis codicibus recentioribus et editionibus antiquis interpolationibus versum auctum esse (cf. Umpfenbachi apparat. crit.) nunc omitto.

disse punctis interpositis significavit, ut non possimus credere Varronis excerptum hoc fere fuisse: ‚G. Vapula. A. Num tu resipis (resistis) verbero?' Sed quot litterae vel verba in codice archetypo illud nunc vacuum spatium compleverint editor ille Festianus nos certiores non facit. Cf. appar. crit. ejus p. 374. Itaque quae res Umpfenbachium commoverit, ut deesse eo loco circa duodecim litteras scriberet, me ignorare profitens causas adesse demonstrabo, quae me impellant, ut aliter de ea re judicem.

Muellerus in ea parte operis Festiani refingenda secutus est editionem Ursini (Romae a. 1581; cf. Mueller. praef. p. XL med.), qui, cum quaternio XVI codicis Farnesiani deperditus esset, apographo illius libri usus erat, sed tamen non optimo, ut Th. Mommsenus codicum hodie superstitum consensum pluris faceret quam singulare testimonium illius editionis. (Cf. Abhandlungen der Berliner Akademie 1864 p. 60 sq.) Qui vir clarissimus in commentariis academiae Berolinensis anno hujus saeculi LXIV editis eam partem operis Festi, quae olim quaternione XVI codicis Farnesiani continebatur, denuo adhibitis tribus libris praeter editionem Ursini (P R S U) excussit utque in lucem proveniret curavit. Is autem non solum pro „resipis", quod una editio Ursiniana (= U Momms. l. c. p. 81) praebet, ex exemplo scripto Politiani (Monac. Vict. 86 = P Momms.), quod codicis archetypi apographon fuisse dicit editor p. 65, „resistis" expressit l. c. p. 80, sed etiam in apparatu critico quem subjecit Vaticanum num. 2731 (= S Momms.) atque emendationes libri Leidensis (Voss. Lat. Oct. 9 = Y Momms.) „num mirum" exhibere commemorat [3]) Verba „num tu" autem cum praeter editionem Ursinianam sola editio Antoni Augustini Venet. 1559, qua Mommsenus p. 66 in recensione sibi abstinendum esse duxit praebeat, et reliqui libri (P R Momms.)

---

[3]) De auctoritate utriusque libri (S Y) disputat editor p. 62; et p. 65 „emendator Leidensis, inquit, ... videatur usus esse ... in quaternione XVI ipso archetypo."

ea porsus omittant, neque auctoritate satis firma carere altera illa lectio et propter alias quas jam proponam causas recipienda esse videtur.

Quodsi locum Terentianum a Varrone excerptum incepisse statuimus a verbis „num mirum", e quibus versus 8 hujus scaenae initium capit, atque desiisse in verba „resistis verbero" („num tu" enim non occurrit apud poëtam nisi in versu 6, inter quem et versum 10 plura verba intersunt, quam quae Varroni ad significationem verbi „vapula" illustrandam opus fuisse videntur), videamus lacunamne codicum Festianorum hac ratione expleri liceat: „Plautus in Feneratrice: *‚heus tu in barbaria quod fecisse dicitur libertus suae patronae id eo dico .... liberta salve vapula Papiria'*. *‚in barbaria'* est in Italia. Aelius hoc loco *‚vapula'* positum esse ait pro *‚dole'*, Varro pro *‚peri'* teste Terentio in Phormione:

G. ‚Núm mirum aut novóm est revocari, cúrsum quom institeris? A. Geta.
G. Pérgit hercle: númquam tu odio tuó me vinces. A. Nón manes?
G. Vápula. A. Id quidem tíbi jam fiet, nísi resistis, vérbero?"

Varro enim exemplo Terentiano allato „vapula" irascentis indignantisque vocem esse demonstrare vult. Iratum autem esse hoc Phormionis loco Getam servum ea maxime re apertum fieri videtur, si qua de causa ira incensus sit perspexerimus. Quae cum insit in verbis versus 8, quibus idem Geta queritur, quod properantem se currentemque ad Antiphonem homo ignotus — qui erilis filius ipse quem quaerit est — redire jubeat, Varronem inde a verbis versus 9 „numquam tu" initum citandi fecisse vix cogitare licet. Namque cum totius loci sententia atque de qua re inter utramque personam agatur non satis ex hac parva parte sermonis apparere videtur, tum haud facile perspici possit suone jure Varro putet Getam tantopere stomachari, ut voce quae ‚peri' significet utatur.

Deinde Umpfenbachio scribenti praef. p. 48 „de significatione verborum sunt quae monuit in ... Ad. I 2, 37, solus hoc loco lectionem *‚Scortatur'* confirmans (quae quoniam cum

eo quod in sequenti versu est ‚*Amat*' stare non potest, viam, qua difficultas removeatur, monstravit Palmerius Spic. p. 732 Grut.)", licet a veritate proxime abesse nobis videatur, assentiri tamen non omni ex parte possumus. Cum enim Varro de ling. lat. VII 84 versum 37 Adelphon I 2 „apud Terentium, dicens, ‚*Scortatur, potat, olet unguenta: de meo*';
‚*scortari*' est saepius meretriculam ducere", ita afferat, ut vocem cujus notionem explanat in locum verbi „obsonat", quod in codicibus omnibus poëtae in hoc versu legitur, supponat, sententiae virorum doctorum multum inter se differunt, utrum haec discrepantia loci Varroniani a lectione codicum Terentianorum consilio ac ratione an negligentia oriunda sit. Neque minus dubium est, utrum grammaticus tam gravi errore, ut, cum loco Terentiano praemisso de significatione vocis scortari quasi occasione data ageret, illa ipsa eo loco omnino non inveniretur, deceptus fuerit, an codices quibu nos utimur illum Adelphon versum mendo inquinatum exhibeant. [4])

Bentleius, vir infinitae doctrinae, ad versum: ex hac re, quod omnes codices Terentiani „obsonat" praeberent, adnotavit, Varronem memoria falsum fuisse apparere. Sed ea videlicet ratiocinatione, qua ille auctoritatem codicum adhuc superstitum pluris fecerat, quam vetustissmum ac gravissmum testimonium viri uno fere saeculo poëtae ipsi inferioris, Spengelius, optimus librorum de lingua latina qui manserunt editor, nequaquam ad id permoveri poterat, ut fidem ac diligentiam hominis, cujus auctoritas in rebus grammaticis summi aestimanda est, detrectandam imminuendamque esse sibi persuaderet. Transiit igitur in partes Floridi, qui lection. subsec I. 5 (Gruter. lamp. vol. I p. 1038 sq.) injuria a Politiano misc. c. 63 (Grut. I p. 80) asseverari aiebat „Varronem verbum pro verbo sumpsisse",

---

[4]) O. Muellerus ad locum Varronis: ‚causas differentiae utriusque scriptoris investigare lubricam esse quaestionem' adnotat.

quandoquidem ille ex hominibus Latinis rerum, quas afferret, auctor esset gravissimus. [5])

At revertamur eo unde profecti sumus. Umpfenbachius de ratione, quae inter versum quem libri Terentiani praebent et eum quem Varro excerpsit intercesserit, haec cogitare videtur: si Palmerium sequamur fieri posse, ut neque Varronem in citando versu memoriae falsum fuisse neque codicum nostrorum lectionem corruptelis depravatam esse existimemus. Alteram igitur recensionem quam vocant fabularum eamque, quamquam ab ea codicum, quibus nos ad poetae vocabula revocanda utimur, dissidentem, tamen non minus bonam adhibuisse Varronem, cum de voce ‚scortari' ageret, vir doctissimus cogitando sibi fingere videtur. Namque homo „Scortatur" in illo versu, si rationem comprobemus, qua in libro Bembino ceterisque versus 38:

„Amat: dábitur a me argéntum, dum erit cómmodum"

exaratus est, stare non posse, quia iteratio ejusdem notionis molestissima foret, acerrimo ingenio perspexit. Quodsi de tota hac re certum judicium facere volumus, conferendi nobis sunt versus Terentiani, quos Palmerius vel Umpfenbachius a Varrone lectos esse statuebat, cum eis, qui in nostris libris poëtae exstant. Hos autem, quibus nunc non facile quisquam offendatur, cum sic scripti inveniantur Adelph. I 2, 34—42:

„Tuum fílium dédísti adoptandúm mihi:
Is méus est factus: sí quid peccat, Démea,
Mihi péccat: ego illi máxumam partém fero.
Obsónat, potat, ólet unguenta: dé meo:
Amat: dábitur a me argéntum, dum erit commodum.

[5]) Verba Floridi l. c. haec sunt: ... „sex tantum sunt Terentii fabellae et breves quidem: in quarum lectione cum Varronem ipsum frequentissime versatum et in Adelphis praesertim, quorum principium Menandri principio praetulit [cf. Suetoni vita Terenti 2, 12 ed. Fleck.], sciamus, quis verbum pro verbo ab illo sumptum conjectetur?" De quibus infra judicare poterimus, si omnes res reputaverimus.

Ubi nón erit, fortásse excludetúr foras.
Forés effrègit: réstituentur: díscidit
Vestém: resarciétur, et — dis grátia —
Est únde haec fiant, ét adhuc non molésta sunt",

Palmerius spicileg. p. 732 (Gruter. lamp. vol. IV) in hunc modum commutavit:

„Tuum dedisti filium adoptandum mihi:
Is meus est factus, si quid peccat Demea,
Mihi peccat: ego illi mactam partem feram.
Scortátur? potat? ólet unguenta? Démea,
Obsónat? dabitur á me, dum erit, cómmodum:
Ubi non erit, fortasse excludetur, fores
Effregit? restituentur: vestem discidit?
Resarcietur; est diis grata gratia, quia
Et unde haec fiant."

Quae verba non ea esse, e quibus lectio, quam codices nostri praebent, haud insolita neque inaudita via depravationis, quae fit incuria librariorum, orta esse possit, primo quasi obtutu apparere puto. Namque etiamsi de hac re aliquem in locum vocis „Scortatur" — reliquis enim missis de versibus 37 et 38 solis agamus — supposuisse lenius ‚amandi' verbum cogitare licet, tamen qua ratione sedes vocum „Scortatur" et „Obsonat" mutatae sint perspicere equidem nequeo. Qua de causa non id Umpfenbachium voluisse putantes de altero variationis modo videamus, quem a sensu ac ratione vel ipsius Terentii vel grammatici qui fabulas recensuisset originem ducere potuisse vir doctissimus sibi animo finxisse videtur. Sed quod ad eam recensionem quam vocant attinet, complures res nobis persuadent, ut ne Varronem quidem versum 37 sicut ab eo citatur in libris legisse arbitremur.

Primum enim ‚obsonandi' crimen, quod Aeschino adolescenti datur, aptissime conjungi cum verbo „potat" non facile quisquam infitias eat, quandoquidem utrumque ad convivia spectans fere ejusdem ponderis est. Sed id in versu 38 Palmeriano ab illo diremptum in loco insigni collocatur, ut major ei vis quam

ceteris, quae in versu 37 ante vocativum „Demea“ posita sunt, subesse videatur. Sed nonne summum momentum in eo est, quod adolescens amare dicitur? Magis etiam confirmatur sententia mea ea re, quod de versu 38, num sicut a Palmerio constitutus est ferri possit, dubito ea de causa, quia id quod vir litterarum peritissimus effecit „dabitur a me commodum“ eis exemplis quae attulit recte se habere non comprobatur. Opinatur enim ‚commodum dare‘ fere idem esse atque ‚satis pecuniae dare‘ vel ‚large sumptum praebere,‘ quod commemorato usu Plautino sibi visus est demonstrasse. Apud quem scriptorem velut Asin. 725 „viginti argenti commodas minas“ et Rud. 1318 „talentum argenti commodum“ de pecunia quidem solvenda sermo est, sed neque „commodum dare“ absolute ponitur nullo addito substantivo et omnino alia vocis ‚commodus‘ notio est neque ea quae loco Terentiano apta sit. Quandoquidem ibi de pecunia justi pretii, quam Latini ‚probam‘ vocant, cogitare absonum foret. Apud Horatium autem sat. II 8, 76: „Tibi di, quaecunque preceris, Commoda dent“ notio illius dictionis multo latius patet.

Quodsi virum clarissimum discedentem a librorum poëtae scriptura et verbum „commodum:“ non recte commate posito separavisse a vocibus „dum erit“ et „argentum“ propter causam non satis idoneam e versu 38 ejecisse statuimus, non meliore jure eum „obsonat“ in hunc versum recepisse, quia utramque vocem metrum senarii non admittit, necesse erit profiteri.

Accedit tertium cur equidem Varronis temporibus lectionem „Obsonat: dabitur a me cett.“ in libris exstitisse non arbitror. Nisi enim „Amat“ primum versus 38 locum tenere ducimus, nescimus qua ratione ea quae sequuntur: „Ubi non erit, fortasse excludetur“ interpretanda ac quo sensu accipienda sint. Receptis enim his vocabulis:

„Obsónat: dabitur á me, dum erit, cómmodum:
Ubi nón erit, fortásse excludetur“

obscurum esse videtur et qua de causa et a quonam homine et unde adolescens futurus sit ut arceatur ac removeatur.

Cum autem Terentius voce excludendi perumque ita utatur, ut ea juvenum ad amicas aditum clausum esse indicet (cf. Andr. II 3, 12. Eun. I 1, 4. I 2, 18. III 2, 28. I 5, 8), eo loco Adelphon, quem Palmerius et sibi et ni fallor Umpfenbachio restituisse visus est, illa cum verbo „obsonat" proxime antecedente conjungatur necesse erit. Sed tamen eane sententia probanda esse videtur: patrem profiteri filio, qui curae ei esse certe putandus est, argentum atque rem usque eo se praebiturum esse, ubi ea deesse coeperit? Jam vero intellecto videlicet damno, quod fecerit, miserrimus juvenis ab homine subita ira inflammato futurum erit ut ejiciatur atque depellatur? Eane omnia senem de se ipso praedicentem poëtam sollertissimum et diligentissimum fecisse credamus?

Neque in illo versu „excludetur" ea ratione interpretari licet, ut cum quadam loquendi brevitate pro his fere verbis: ‚arcebitur Aeschinus, quominus in obsonando pergat' adhibitum sit. Quid enim? ponamus cauponem adolescenti non jam vinum et obsonium praebiturum esse, cum pater ei pecuniam denegaverit, nonne ille, ubi semel luxuria assuetus erit, alias quaeret vias, quibus tantum, quantum opus erit, ut animo indulgeat, sibi comparet. Terentium certe hoc fieri posse fugere non poterat, quippe qui And. I 1, 61 sq. Eun. III 4, 1—4 eos, quibus in patrum aedibus cum amicis familiaribusque suis potare commodum non erat, in alienis domibus commissantes effinxerit. Cujus rei luculentum exemplum afferre mihi liceat Eun. III 5, 59 sq., ubi haec leguntur verba, quibus Chaerea et Antipho adolescentes colloquuntur:

„An .... séd interim de symbolis quid áctumst?
Ch. Parátumst. An. Frugi es: úbi? domin? Ch. Immo
áput libertum Díscum."

Sed dicat aliquis, nonne juvenis, ubi a patre vel argentum vel epulae non suppeditata erunt, ab ipsorum aequalium conviviis retinebitur? Quamquam eam rem animo Micionis obversari non posse haud contenderim, tamen poëtam, si senem talia dicentem in scaenam introduxisset, ut oblitum artis qua

alioquin utitur neque in rebus, quas ipse fabulis illorum Graeciae temporum, quibus mores hominum non levem jacturam fecerant, tamquam insignitis imaginibus actas esse adumbravit, sibi constantem merito inertiae accusarem, praesertim cum haec ipsa fabula, quae inscribitur Adelphoe, eundum Micionem Ctesiphoni fratris filio eum sumptum, quo in domo sua largas nec sobrias epulas sibi comparet cf. V 1. 3, 13 sq., praebentem in oculorum nostrorum conspectum producat. A quo crimine cum Terentius, si vocem „Amat" quam codex Bembinus praebet suo loco retinemus, liberetur ceterisque rebus quae nos impediunt, quominus „Obsonat" illi voci substituamus, consideratis reputatisque, porro autem cum lectio Varronis „Scortatur" in versu antecedente cum amandi verbo in versu 38 consociare non possimus, nisi poëtam ipsum in hac re oscitanter egisse dicere malumus, quam Varronem, nimirum quod libris non inspectis memoriter interdum versus poëtarum proferebat, in errorem delapsum esse, meum quidem judicium, licet Floridus Spengeliusque sapientissimi viri dissideant, non potest quin illuc inclinet. Neque hoc mirum est in homine, cui, quamvis propter summam quam sibi comparaverat antiquitatis scientiam doctissimus scriptor et rerum grammaticarum ex hominibus Latinis fortasse primus auctor dicendus sit, humani aliquid in ea re eo facilius accidere poterat, quod tam multos et doctrina plenos libros scripserat, ut Cicero eum ad Att. XIII 8 πολυγραφώτατον, Plutarchus Romul. 12 βιβλιακώτατον hominem appellarent.

Restant duae res, quae sententiae nostrae de ratione, qua Varro illum locum citaverit, obstare videntur. Quarum cum altera congruat cum sententia, quam Floridus ‚virum clarissimum, aiens, verbum pro verbo sumpsisse non verisimile esse' profert, in hac re bene nobis contingit, quod jam in libro C. F. W. Muelleri, cui inscripsit „Plautinische Prosodie," p. 693 sq. nonnulla ejusmodi erroris exempla, quale id est, deq uo nunc loquimur, reperiuntur, ut clarissimum grammaticum et in citandis versibus Plautinis, qui in illo libro leguntur, et, ut

supra vidimus, si Terentium excerpebat, nonnunquam memoria falsum fuisse vix etiam dubitare possimus. Atque cum in eodem praestanti libro vir sagacissimus Varronem memoriter tenuisse versus quos citabat satis confidenter suspicatus sit, id ipsum nostro quoque loco omnes probabilitatis numeros habere exponam.

Potest enim esse qui dicat: ‚concedamus tibi grammaticum scortandi vocabulum in versu 37, ubi nunc codices Terentiani verbum „obsonat“ exhibent, non legisse. Inde vero prorsus fictam vocem, quae in illa fabula non reperiatur, eum Terentio adscripsisse non sequitur, sed sive falsus recordatione sive oculis aberrans illam praesumpsisse videtur e versu qui sequitur libris quibus utebatur eam praebentibus locum amandi vocis obtinentem.‘ Id sane habeat, quo commendetur, quandoquidem alicui legenti hanc Adelphon scaenam consentaneum videri poterat odium scortandi vitii notione mitiore amandi substituta leniri. At si quis hoc statuit, nonne is jam Varronem peccavisse dicit? Deinde si id tenemus atque si alium locum qui in eadem scaena exstat afferimus, ubi etiam nunc codices scortandi verbum praebent, nonne multo magis verisimile esse apparet Varronem e memoria proferentem versum 37 eam vocem, quae in versu 22 antecesserat, falso magna videlicet sententiarum utriusque loci similitudine ductum iteravisse, quam nulla alia nisi hoc testimonio Varronis extante causa et fide omnium nostrorum librorum auctoritateque Donati diminuta illis obtrudendum esse id vocabulum, quod Varro aliquatenus certe frustratus solus legit?

Repugnat autem idem Micio senex fratri Demeae objurganti, quod Aeschinum corrumpi sinat, his acerbis verbis (v. 21 sqq.)

„Non ést flagitium, míhi crede, adolescéntulum
S c o r t á r i, neque potáre: non est: néque fores
Effríngere;“

inter quae multo aptius adhiberi scortandi vocem quam v. 37 sq. facile intelligi potest. Cum enim eo loco (v. 31 sq.) Demea indignatus exclamaverit:

„Pro Júppiter, tu homo ádigis me ad insániam.
Non ést flagitium fácere haec adolescéntulum?“,

Micio studio adversandi longius se progressum esse sentiens tantum de sententia sua detrahit, ut nunc fratrem placare studens se unum ea re damnum facere dicat, quod de suis opibus Aeschinus ea — quae non probanda esse jam concedit — sibi comparet vel laesa reficiat. Cum ea autem ratiocinatione plane consentaneum esse puto, senem crimen rei inhonestae, quod juvenis in se receperat, ita appellando lenire studere, ut vocem „Amat,“ quae non de meretricum sola consuetudine, sed etiam de licito studio mariti in uxorem (cf. Hec. V 4, 22) deque aliis honestis animi affectibus usurpatur, defendendo amplectere praeferat.

Nunc mihi liceat afferre nonnullos locos, quos Wilmannsius in eo libello, quo primum Varronis librorum grammaticorum reliquias collegit atque edidit, M. Terentio ut auctori restituit. E numero eorum primum eos locos, quorum verba Terentiana non a scriptura librorum poëtae, qui hodie extant, discrepant, apposito veteris scriptoris, qui singulos excerpsit, nomine et pagina hic subicimus.

Non a Julio Romano (cf. Keil. gramm. lat. praef. vol. I p. XLV) sed a Varrone citatum esse mea quidem sententia recte censet Wilmannsius Eun. I 2, 4, quem Charisius p. 242, 5 Keil. hac ratione servavit (p. 206 W.):

„*‚tremo hórreoque póstquam aspexi hanc‘*

adfectus ob amorem“: et Adelph. IV 2, 45 verbum ‚pistrilla,‘ quod Charisius p. 37, 16 K. (= p. 152 W.) sic tradit: „hoc pistrinum haec *pistrilla*, ut Terentius in Adelphis,“ eidem Varroni deberi dicit p. 32. Item Augustini (de dial. 6) verba „incurvum senem *‚victum‘* Terentius [Eun. IV 4, 21] appellavit“ Varronis fuisse voluit Wilmannsius p. 149. Idem non Diomedem sed Varronem non citasse dicit totum versum Hecyr. III 2, 14 excerptum illum a Diomede p. 515 K. et a Rufino de metr. com. p. 378 et 383 Gaisf., at eam particulam ejus, quam apud Diomedem p. 518, 0 K. (= p. 203 W.) sic legimus: „Ex

iambico novum carmen refert Varro .... ‚*Philumenae dolores*,' quod est ex jambico septenario". [6]) Mutata collocatione verborum et metro turbato nunc exstat apud Charisium (p. 110, 14 K.) pars Andr. IV 2, 27: „Terentius: ‚*quod tibi addo dieculam*'," quam cum Wilmannsius p. 153 a Varrone exscriptam esse putet, utrum doctissimum et artis componendorum versuum peritissimum hominem (cf. supra et Wilm. p. 64 sqq.) eundem interdum non satis diligentem in versibus poëtae citandis fuisse dicamus necne nobis quaerendum est. Atque etsi verba Varroniana et excerptum Terentianum nulla ratione habita metri versus

„Eho tu ímpudens, non sátis habes, quod tíbi dieculam áddo"

a Charisio immutata non esse negare licet, tamen quandoquidem M. Terentius de re rust. II 4, 16 verba Menaechmorum Plauti 290 sq.

„⏑ ‒́ ⏑ quibus hic prétiis porci vaéneunt
Sacrés sinceri? [Cl. Númmis. Me. Nummum a me áccipe.]"

hoc modo citavit: „quanti hic porci sunt sacres?" (cf. C. F. W. Müller: Plaut Pros. p. 693), ut numero verborum diminuto rhythmus totus periret, eundem, ubi de genere verbi ‚dies' agebat, ordinem vocabulorum confudisse, id putare non magnae temeritatis esse mihi quidem videtur.

Ea vocabula, quae Charisius vel Romanus (cf. Keil. praef. p. XLV) e Terentii Ad. I 2, 31 affert (p. 242, 1 K.): „‚*tu me homo adigis ad insaniam*' irascentis et haec oratio est," non

---

[6]) Fleckeisenus et Umpfenbachius illo loco Hecyrae genetivum „Philumenae" recipiendum esse putaverunt e codice Victoriano — cujus secunda manus *e* finale vocabuli in *ā* mutavit —, e libris grammaticorum, quos supra nominavi, e Donati et Eugraphii commentariis, quamquam Bentleius „Philumenam" accusativum, quem reliqui libri Terentiani omnes praebent, praetulerat. In qua re equidem illis viris doctis, quandoquidem quantum circumspicere potui a nullo auctore latino unquam scriptum est: ‚dolores remittunt aliquem' — versus Terentianus enim hic est:

„Nam sí remittent quíppiam Philúmenae dolóres" —,

assentiendum esse existimo. Cf. Forcellini lexicon s. v. ‚remittere.'

illum sed Varronem (p. 206 W.) primum excerpsisse praeter eas causas, quas Wilmannsius p. 73 sqq. ut comprobaret quod de eis judicaverat congessit, id confirmat, quod p. 241, 26 (Keil. vol. I) Julius Romanus ipse illa pluribus tamen et secus dispositis verbis:

„Pro Júppiter, tu homo ádigis me ad insániam"

plane sicut Bentleius ea restituit atque ut in libro Bembino insunt citare videtur. Itaque ab Umpfenbachio existimante illo praef. p. LIII hunc locum p. 242 male videri repetitum esse dissidentes aut Romano codicibusque plerisque Terentianis, quibus nos utimur, fraudem esse factam aut artis grammaticae clarissimum inter veteres auctorem vel non satis accurate libros suos consuluisse vel alia atque nostra recensione quam dicimus fabularum usum esse statuemus. Namque eum in hoc quoque versu citando errasse non licet credere, quandoquidem senarium

„Pro Júppiter, tu me hómo adigis ad insániam,"

si ad severitatem legum artis metricae exigitur, recte se habere concedendum est.

De hac re igitur videamus, utram rationem versus componendi ut praestantiorem Terentio tribuamus. Atque si licet statim sententiam aperire, mihi quidem versus sicut apud Varronem conformatus exstat ei, quem etiamnunc editiones poëtae exhibent, praeferendus esse videtur. Quid enim? Nonne senarius, quem libri praebent quique in pagina 241 Charisii invenitur, ita tantum legi potest, si syllabas „mé ad" sive per synaloepham unam longam efficere, sive utramque vocalem priore correpta hiare putamus. Quarum rationum difficultatis expediendae haec altera maxime Ritschelio (opusc. II p. 600 sq.) et C. F. W Muellero (p. 456 A.) auctoribus mihi probatur. Quamvis autem Bentleius sched. de metr. Ter. p. 47 (Vollbehr), C. F. W. Muellerus Plaut. pros. p. 536—540, Brixius praef. ad Plaut. Trin. p. 20 poëtis scaenicis Latinorum licere dicant in hunc modum versus componere, ut interdum vocalem ante vocalem hiare patiantur, tamen quo quis rarius ea utitur licentia, is eo perfectior nobis sit appellandus. Nam Ritschelius, cujus in hac

re summa auctoritas est, proleg. in Plaut. Trin. p. CLXXXVIII „omnino ..., inquit, qui recte judicare de hiatu volet, hoc imprimis teneat oportet, non aliquam elegantiam hiatum interpretandum esse, qua delectati sint poëtae et quam dedita opera sectati sint, sed licentiam quam indulserint sibi, ubi non nimis habere offensionis videretur."

Sed si fisi testimonio Varronis, quod etsi fortasse non auctoritate, quoniam M. Terentium nonnunquam non satis magna in excerpendo diligentia fuisse vidimus, at vetustate certe omnes fontes, qui nobis ad manum poëtae revocandam usui sunt, antecedit, versum 37 Ad. I 2 sic scribimus:

„Pro Júppiter, tu me hómo adigis ad insániam,"

non ea una causa, quam modo protulimus, nos commovet, ut hac potius lectione Terentium usum esse arbitremur, sed altera quoque quae nescio an etiam gravior sit. Ritschelius enim, vir summus, proleg. p. CCLI sqq. ‚Terentium Plautumque id studuisse dicit, ut quantum possent, nullum omnino vocabulum, modo id aliqua vi praeditum esset quantumvis ea exigua, extra arsim collocarent.' Porro in versu, de quo nunc loquimur, magnam irae commotique animi vim inesse animadvertimus. Quodsi quaerimus, quasnam notiones vel verba Terentius pronunciando efferri voluerit, voces „Juppiter" et „insaniam" binis ictibus non injuria instructas esse fatebimur. Si de reliquis verbis videmus, mihi quidem ipse auctor, cui notioni ex tribus illis „tu me adigis" majus pondus subesse voluerit, simplici pronomini „tu", ut nimirum vim ejus altius exaggeret, vocabulum „homo" addens indicare videtur. Quid autem de versu qualis adhuc legitur: „Pro Júppitér, tu homo ádigis mé ad insániám" judicemus, in quo utraque vox vix aut ne vix quidem pronunciando auditur? Namque cum vocalis *u* elidatur, sive synaloepha cum voce sequente facta diffluat (cf. Corssen: Ausspr. Beton. etc. II p. 750 sq.), vocabulum „homo" paene solum in versu legendo reliquum est. Ac ne hoc quidem satis auribus accipere possumus — non dico, quia totum in thesi cubat, eam enim causam, quae Bentleio (cf. ad Eun. V 5, 16 And. II 2, 2 cett.)

et Ritschelio (cf. proleg. p. CCLV.CCLVII) saepius ad collocationem verborum mutandam satis est. non omnibus probari haud ignoro —, sed quia arsi quae sequitur e duabus syllabis brevibus composita quam minimo tempore vocem spiritumque vocabulo „adigis“ admovere cogimur. At quoniam adhuc esse scio qui de toto hoc genere dubitent num ita se habeat, ad usum Terentianum vocis „homo,“ ubi ea notionis augendae gratia ad pronomen aliquod accedit, attendi animum et observare studui, utrum poëta in ea verborum structura accentum quem vocat Ritschelius logicum cum ictu consociare consuevisset necne. Cum vero in magno numero locorum (velut And. II 2, 7. Eun. III 4, 5 Heaut. IV 4, 9. Pho. II 3. 28. Hec V 4, 21. Ad. III 2, 38) aut vocem „homo“ aut pronomen quocum conjuncta est aliquo modo ictu elata invenerim, de consuetudine sua poëtam ne Ad. I 2, 31 quidem discessisse existimem.

Non paullum auctoritatis testimonio Varronis, quod a Julio Romano et Charisio (p. 242, 3) nobis servatum est, ad eam lectionem, quam libri recensionis Calliopianae Adelph. I 2, 47 praebent, accedit. Dicit enim Varro (p. 206 W.): „‚*Tun consulis quicquam?*‘ et haec irascentis oratio est.“ Cum autem codex Bembinus versus 46 sq., quibus Micio et Demea senes de recta ratione educandi Aeschini adolescentis, quam Micio sibi ingressus esse videtur, altercantur, hoc modo praebeat:

„Mi. Natúra tu illi páter es consiliís ego.
De. Tun cónsiliis quicquam? Mi. A, si pergis, ábiero,“

Umpfenbachius aliter atque Bentleius et Fleckeisenus, qui recensionem Calliopianam secuti sunt, ea videlicet ratiocinatione permotus, ut Terentium idem verbum fratris fratrem effinxisse excipientem irridentemque putaret, maxime autem quod auctoritati libri optimi in hac re sibi obtemperandum esse censeret, haec item exprimi curavit. Attamen illum virum doctum sibi persuasisse „Tun consulis“ non ferendum esse non puto. Nam cum Micio ‚consiliis‘ se patrem juvenis esse dixerit, Demeam non idem quidem vocabulum, sed eandem notionem simili sono vocis cavillando repetere satis esse videtur. Denique si in codice

archetypo „consilis,“ quod nunc in libro Riccardiano legimus, scriptum esse sumimus, vix neges ex ea forma et „consulis“ et „consiliis“ facile originem ducere potuisse.

Reliquus est locus Veli Longi p. 2236 Putsch., quem Wilmannsius p. 175 inter reliquias Varrioniani libri I de sermone latino inscripti inseruit. Ibi enim Heaut. IV 3, 21 in codice Vaticano, quo vir doctus usus est, hac ratione traditus legitur: „item ‚*miis*‘ per *I*, non ‚*meis*‘ per *E*, ut Terentius: ‚*at enim istoc nihil magis Syre miis nuptiis advorsum*‘.“ De pronuntiatione, quam Varro hoc loco commemorat, cf. Wilm. p. 92. In fabula ipsa Clinia sic loquitur:
„At enim ístoc nihil est mágis, Syre, meis núptiis advérsum,“ qui versus ita metiendus est, ut *s* finali vocis ‚magis‘ non pronuntiato altera syllaba hujus verbi brevis sit (cf. Brix. praef. in Plaut. Trin. p. 12 sq.. Neue: Formenlehre d. lat. Spr. II p. 522). Cum in ea versus conformatione quam Velius praebet vocabulo „est“ omisso illam legendi difficultatem, quae in his verbis subesse vel illi ipsi vel Varroni — quid is enim de hac re senserit ignoramus — videri poterat, sublatam esse appareat, tamen, quoniam Ritschelius proleg. p. CIX sq. in fabulis Plautinis nisi perraro eam omissionem usu non venire dicit, neque magis Terentius, quantum animadvertere potuimus, id facere consuevisse videtur, equidem eam scripturam, quae in codicibus poëtae reperitur, loquendi usui Terentiano magis consentaneam esse arbitror.

Accedamus ad testimonia Terentiana, quae Umpfenbachius ex **Hieronymi** auctoris ecclesiastici operibus collegit. Vir clarissimus enim ‚praeter hunc Augustinum tantum atque Lactantium quantum potuisset, antestatum se esse‘ dicens praef. p. XLIX ‚nullum fere fructum inde sibi redundasse‘ addit. Cum equidem hoc fieri non potuisse negem, nunc eos locos, quos editor optimus ita, ut aliud quidquam de eis statui non posse videretur, recensuit, eo consilio singulatim paucis percurram, ut causas, quae eum ad illam sententiam, qua verba

patris ullius fere momenti ad restituendas fabulas Terentianas esse negaret, permoverint, indagare atque oculis eorum qui haec legent subicere conor.

Quodsi missis eis, quae in utroque scriptore congruunt, fabularum Terentianarum ordinem secuti ea vocabula, quae Hieronymus ratione scribendi dissidente a codicum nostrorum contextu qui vocatur poëtae ex illis desumpsit, examinamus, in verbis ejus, quibus prologi Eunuchi versum 8

„Ex Graécis bonis Latínas fecit nón bonas“

sic tradit in opere „liber Didymi de spiritu sancto“ inscripto: „Juxta comici sententiam ‚*ex graecis bonis latina vidi non bona*‘,“ fortasse primum haerebimus. Cum versum, de cujus qua metiendus sit ratione cf. C. F. W. Mueller: Plaut. pros. p. 160, haec vocabula antecedant:

„Qui béne vertendo et eásdem scribendó male,“

facile cognoscimus poëtam re vera ea, quae in libris insunt, „Latinas non bonas“ sc. fabulas scripsisse neque eum „Qui bene e. q. s.“ cum verbo „vidi“ conjungere potuisse, praesertim cum Terentius de obtrectatore suo Luscio Lavinio (cf. v. 6. Teuffel. hist. litt. latt p. 132) non de se ipso loquatur. Hieronymum igitur versum in usum suum libere transformasse statuemus.

Eadem causa est discrepantiae testimonii Hieronymiani ad Phorm. III 2, 21 sq. atque similiter sententiam tantum verborum Micionis Terentiani Ad. I 1, 18 sq.

„quod fórtunatum istí putant
Uxórem numquam habui“

hoc modo adv. Jovinian. vol. IV [2] p. 191 Bened. expressit: „Et noster comicus fortunatum putat, qui uxorem numquam duxerit.“ Qui locus Umpfenbachium testimonia Hieronymi colligentem fugit.

Eunuchi prologi versum 41:

„Nullúm est jam dictum, quód non dictum sít prius“

e memoria potius vel e commentario grammatico ille scriptor deprompsisse quam libris adhibitis afferre videtur, quia vocabula Terentiana apud eum nequaquam ad metrum senarii quadrant,

cum in cap. I libri, cui auctor „in ecclesiasten commentarii" inscripsit, haec legamus (ed. Bened. II[1] p. 720): „Huic quid simile sententiae et comicus ait (sic ed. Bened., „dixit" Umpfb. cf. infra.):

‚Nihil est dictum, quod non sit dictum prius‘. [7])

unde praeceptor meus Donatus, cum istum („ipsum" Umpfb.) versiculum exponeret: *‚Pereant*, inquit, *qui ante nos nostra dixerunt.‘* "

Leniter tantum deflectit Hieronymus a memoria Victoriani Decurtatique codicum, magis a lectione libri Bembini scribens ille in commentarii ad Michaeam prophetam cap. I (vol. III p. 1505 Bened.): „Et comicus in Heautontimorumena (sic): ‚visa est‘ inquit ‚vere quod dici solet aquilae senectus.‘" Namque cum in duobus illis libris Terentianis, quos supra nominavi, collocatio verborum Heaut. III 2, 9. 10 eadem sit atque ea quae est apud Hieronymum, omnes codices eo loco „vero" praebent. Quodsi librum Bembinum sequimur, Syrus servus optimam valetudinem Chremetis senis, diluculo ad Menedemum profecti, quamquam die proximo multum biberat, laudat his verbis:

„⏑ ⏑́ ⏑ visa vérost, quod dicí solet
Aquilaé senectus".

Sede vocis „est" mutata eaque ad verbum „visa" adnexa nullum incommodum metro fieri facile animadvertimus. Non prorsus vero sententiae loci consentaneum esse puto Hieronymum in locum „vero" vocabuli adverbium „vere" substituere. Terentium enim non verba „quod dici solet aquilae senectus", sed „(aquilae) senectus" tantum subjectum enuntiati esse voluisse inde colligi potest, quod non nentrum praedicati ‚visum‘, sed

[7]) Ita enim verba versus in editione Parisina (studio et labore monachorum ordinis S. Benedicti J. Martianay et A. Pouget 1693—1706) qua equidem usus sum — nam neutra Vallarsianarum quarum alteram Umpfenbachius scribens „non dictum sit" adhibuisse videtur (cf. test. ad Heaut. III 2, 9) in promptu mihi erat — disposita sunt, ut excerptum Hieronymianum plane jam idem sit atque Diomedis testimonium p. 400 K., quod ad hunc locum spectat. Donatus quoque in lemmate hujus versus praebet: „quod non sit dictum".

femininum genus „visa (est)“ adhibuit. Quoniam porro vis ac notio adverbiorum ‚vere‘ et ‚vero‘ ita fere definitur, ut illa voce hominem aliquem recta mente vel sano judicio et in agendo et in dicendo uti indicetur, hoc vocabulo rem de qua agatur sic ut dicta sit se habere (cf. Neue: Formenlehre cett. II p. 499) affirmetur, ‚vere‘ adverbium ad locum Terentianum, quippe cui non subjectiva quam vocamus sententia insit, quod servus Chremetem tamquam aquilam alacrem esse praedicat, non satis aptum esse videtur. ‚Vere‘ enim ita tantum explicare possemus, si cum „dici“ infinitivo conjungi posset. Sed quia hic non est, cur poëtam illud proverbium verum esse scripsisse sumamus, omnia autem in tradita scriptura bene se habent, illam pro Terentiana habendam esse puto.

Transeamus nunc ad Hecyrae II 1, 4, quem versum, cum Hieronymus eum ratione multum diversa ab ea lectione, quam codices Terentiani adhuc praebent, citaverit, nos paullo accuratius contemplabimur primum eo consilio, ut de fortuna certiores fiamus, quae ei jam illis temporibus, quibus codex archetypus librorum nostrorum conscribebatur, contigerit; deinde ut rationem, qua Hieronymus eum excerpserit, dilucide mentibus effingere possimus. Ille enim versus, ut hoc statim moneam, neque in libris Terentianis sicut poëta eum scripsit exstat, neque apud Hieronymum integer legitur; namque et hic et illic verba e quibus compositus est metro octonarii iambici, cujus rhythmi generis ei versus qui illum antecedunt et sequuntur sunt, nequaquam satisfacere possunt.

Sed antequam ad illas res explicandas accedamus, videamus salutemne ei versui, qui in codicibus poëtae legitur, ferri omnino liceat, quoniam Bentleius, praeclarissimus ille sospitator Terentii, eum pro Terentiano haberi posse negans totum delendum esse censuit. (Cf. adnot. in ed. Ter. ad hunc locum spect.) Procedit autem Hecyr II 1 in scaenam Laches senex iratus, quod Philumena filii uxor e domo mariti discessit neque jam eo reditura esse videtur, atque odio Sostratae uxoris suae id illam fecisse opinatus in optime moratam mitissimamque socrum hoc modo invehitur v. 1 sqq.:

„Pro deum átque hominum fidém, quod hoc genus est,
quae haéc est conjurátio!
Utin ómnes mulierés eadem aeque stúdeant nolintque
ómnia
Neque déclinatam quícquam ab aliarum íngenio ullam
réperias!
Itaq. ideo uno animo omnes socrus oderunt nurus.[8])
Viris ésse adversas aéque studium est, símilis perti-
nácia est.
In eódemque omnes míhi videntur lúdo doctae ad
málitiam:
Ei lúdo, si ullus ést, magistram hanc ésse satis certó scio."

Cum igitur Bentleius versum 4, quia, ut ipsius verbis utar, ‚toto pede deficiat, ab ambiguitate laboret, filum orationis interrumpat, e nota marginali natus sit' eiciendum esse putet, singulas causas, quibus vir clarissimus hanc sententiam defendit, eo consilio exigamus, ut nobis ipsis certum aliquod judicium de hac re facere liceat.

Ac quoniam supra verba illa ad metrum octonarii iambici non convenire concessimus — quamquam equidem cur vir doctissimus uno pede eum defici dicat non satis intelligo —, hac re missa in reliqua vitia inquiremus num ea jure in illo versu vituperet, ut si id perspexerimus ultro appareat, utrum ex nota quam vocat marginali oriundus sit necne. Primum autem quod attinet ad eam offensionem Bentlei, in quam ille versum apud se cecidisse declarat filum orationis dicens eum interrumpere, tribus adeo argumentis ad hoc judicium faciendum se commotum esse demonstrat.

Unum ex eis affert putans quod omnium mulierum crimen aliquod commune versibus 2 et 3 proferatur, singulare socruum crimen versu 4 male inferri. Attamen primum in versu 4 so-

[8]) Sic scriptus est versus in libro Bembino, quocum reliqui codices fere omnes congruunt, nisi quod liber Riccardianus „Ita adeo," Basilicanus „nurrus," „nurus suas" Parisinus praebent.

cruum solarum crimen inesse nego, quandoquidem ex ipsa ratione ambigua, qua senex de odio socruum et nuruum loquitur, eum non solum de socribus sed etiam de nuribus agere, ita ut de duobus non uno gerere mulierum sermo sit, animadvertere possumus. De qua ambiguitate cum postea uberius tractaturi simus, nunc hanc solam quaestionem utrum illud magis singulare vel speciale dicendi genus, quod versu 4 incipitur, ferendum sit necne instituemus. Ac mihi quidem, ut sententiam candide proferam, causa, cur Bentleius id versu 4 vitio dandum esse putavit, non tam in eo, quod senex versibus 2 et 3 de omnibus mulieribus loquitur, inesse videtur, quam in ea re quod non jam versibus 5 sq. in socribus nuribusque vituperandis pergit, sed de uxoribus loquitur. Eam enim sententiam viri docti fuisse ex vocabulo „infert“ quo utitur concludo. Namque haud vereor ne Lacheti non licere dixerit, postquam de omnibus mulieribus questus sit, exemplum malorum morum et ingeniorum afferre quod in uno earum genere conspiciatur. Id vero si Bentleius existimabat, eodem jure versus 5 eum offendere debebat, quippe quo non magis quam v. 4 de omnibus mulieribus, sed de eis tantummodo, quae viris nupserint, dicatur. Itaque quia neque facile quisquam talem sententiarum connexum: ‚omnes mulieres uno animo sunt et eadem student: pro ea ingeniorum et morum congruentia omnes socrus et nurus oderunt inter se‘ vituperet, et argumentum, quod ille vir primo loco posuit, ita tantum valere potest, si tertium quod attulit ut sermonem interrumpi demonstret cum illo conjunctum reputamus, nunc porro quae de versu 5 exponit consideremus.

Quem cum Bentleius cohaerere cum antecedente neget, quandoquidem senex non jam socrus nurusque solas culpet, adicit: adversandi crimen ‚plane ad omnes mulieres spectare.‘ Hoc autem non minus, quam si quis existimaret culpam illam nuribus socribusque tantum attribui, negandum erit. Namque ‚vir‘ vocabulum cum saepius a Terentio ea sententia usurpatur, ut fere idem significet atque ‚maritus‘ cf. Pho. V 3, 12. Hec.

IV 1, 9, tum equidem quanam alia ratione Laches in hac scaena, qua de sua et de Pamphili uxore maxime agit, id accipi velit non video. Sed et ipse Bentleius non plane ille sibi constans dum scribit: „hoc peccant (sc. quod adversantur) non qua ‚socrus‘ sunt, sed qua mulieres, qua uxores“ versu 5 de uxoribus agi concedit. Si igitur vir clarissimus dixisset: ‚adversandi crimen, quod in versu 5 inest, non jam in socrus nurusque, quae antecedente versu culpantur, sed in omnes feminas, quae viris nupserint, intenditur,‘ eam explicandi rationem non improbandam fuisse arbitror.

Sed longius etiam procedentibus nobis — sumamus enim versum 4 insiticium esse — e Bentleio erit quaerendum unde Lachetem clamantem:

> „Viris esse adversas aeque studium est, similis pertinacia est“

non jam omnes mulieres sed uxores designare compertum habuerit. Nonne concinnius videtur transitum ab omnibus mulieribus ad uxores fieri commemoratis socribus nuribusque, quae certe nuptae sunt mulieres, quam si e solo virorum nomine concludere cogimur nunc de uxoribus esse sermonem?

Arbitratur deinde vir doctissimus illud odium, quo nurus et socrus v. 4 dissidere dicantur, pugnare cum eis vocabulis senis, quae v. 2 sq. omnes mulieres eadem studere ac nolle disserte efferant. Queritur autem Laches verbis

> Utin ómnes mulierés eadem aeque stúdeant nolintque ómnia
> Neque déclinatam quícquam ab aliarum íngenio ullam réperias“

ex illa interpretatione Bentlei de hac re, quod mulieres eadem ament et oderint. Conqueri enim senem, non laetari vel mirari de aliqua re cum in scaenam processerit exclamans:

> „Pro deum átque hominum fidém, quod hoc genus est, quae haéc est conjurátio,“

hoc neque vir clarissimus negat neque alius quisquam infitias eat. Quodsi quaerimus, quaenam res senem male habeat, facile

eo inducimur ut, quoniam in antecedente scaena v. 104, 114 sq. e Parmenone servo audivimus eum rescivisse Philumenam odio Sostratae permotam in domum paternam abiisse, hanc esse causam cur iratus est existimemus. Neque nos hac conjectura falli apparet ex multis locis scaenae, de cujus initio agimus, veluti ex versibus 13 sqq., 22 sqq., 34 aliis, quibus Laches de inimicitiis, quae inter utramque mulierem ortae sint, jurgat. Iam vero Bentleius eum versibus 2 et 3 dicentem facit mulieres eadem amare et odisse. Homines autem qui eadem student et nolunt, amant atque oderunt nonne ei alter amicus alterius esse nobis putandi sunt? Porro concedendum sit versus illos, quos Laches in initio sermonis posuit, ad eandem rem spectare atque reliquos quos deinceps profert. Itaque si paullisper praestantissimo interpretatori versum 4 ut insiticium removentes obsequimur, nonne senex, cum versibus 2 sq. mulieres omnes concordes inter se esse dixerit, in hac quidem re eas laudans versu 5 tamen hoc crimen infert in eas:

„Viris esse adversas aeque studium est“ e. q. s.?

Haec igitur malitia, ad quam omnes in eodem ludo doctae sint, esse videtur. Quod crimen si subjungis reliquis verbis, quibus inter se amicae esse dicantur, si bene sententiam procedere volumus, paullo sublatiore genere dicendi senem usum esse fatebimur amicitiamque mulierum ita esse artioribus finibus coërcendam, ut dicamus Lachetem concordes esse vel conspirare eas in studio viris adversandi conqueri. Secuti igitur Bentleium si versus 2 sq. cum vocabulis „Viris esse adversas aeque studium est“ e. q. s. certo quodam sententiarum argumentique connexu cohaerere credimus, propriam vim atque universale illud enuntiandi genus, quod versibus 2 et 3 contineri videtur eis verbis quae v. 5 subsequuntur angustioribus carceribus ita restringi intelligimus, ut mulieres in malis artibus tantummodo concinere dicamus. Alia enim ratione qui duos illos versus commode interpretari possimus equidem non video, cum Laches, omnes mulieres unaque cum eis Sostratam, quae in scaena praesens est (cf. v. 7), propter animos inter se amicos collaudare certe nolit,

quippe qui, ut supra vidimus, processerit ea mente, ut uxorem propter inimicitias, quas cum Philumena susceperit, vituperet. Idem autem si fecerimus (i. e. si studiorum muliebrium aequalitatem accuratius definiri ducimus) in explicando versu 4:

„Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus“, non minus apte eum sententiam versuum qui antecedunt continuare eundemque ab hac parte integrum esse perspiciemus.

Neque solum hic versus teneri potest et qua ratione sensus reliquorum vocabulorum ita, ut fabula ipsa quae agitur postulat, accipiendus sit aeque bene, quam si mutationem Bentlei admittimus, nos edocet, sed etiam demonstrari posse videtur multo plures probabilitatis numeros id habere ab ipso poëta eum esse oriundum, quam aliquem hominem non indoctum eum margini adscripsisse. Nonne enim exspectemus: Lachetem, cum bis jam monuerimus eo consilio eum Sostratam convenisse, ut ei obiciat, quod anum cum puella litigare non pudeat, in versibus 1—7 id quod sibi proposuit quamvis breviter perstricturum atque attacturum esse? At idne jam facit, si versum 4 eicimus, an solum queritur et indignatum iratumque se praestat propter eam rem, quod omnes mulieres, quarum in numero uxor excellat, maritis repugnent et adversentur atque omnino malae sint?

Magis etiam quam hac re impellor, ut mutationem Bentleinam probandam non esse sentiam, ea causa, quod, si clarissimo viro obsecuti omnes vel mulieres vel uxores viris suis adversas et malas esse id unum crimen senem in versibus 1—7 proferre existimamus, accusandi verbum, quo Sostrata v. 8 utitur, etiamsi id omnino non ferendum esse non dixerim, sed tamen non nimis apte usurpatum esse puto. Nam qui potest anus dicens: „Me miseram, quae nunc quamobrem accuser nescio,“ de accusatione loqui, ubi Laches nihil nisi primam illam inter eas uxores, quae viris adversentur, esse dixerit? Num hoc est accusare an potius objurgare? Nonne is qui accusat certum aliquod crimen afferre debet? At non defuturum esse scio qui dicat: ‚qua de causa tu accusandi verbum in versu 8 a

Sostrata ita nuncupari vis, ut certam aliquam rem ei objectam esse ex eo appareat? potestne illa hac voce pro insimulandi vel reprehendendi vocabulis uti, qua significatione Terentius ipse Heaut. I 1, 50 Hec. IV 4, 94 sqq. verbum adhibuit, ita ut Sostrata dicat: ‚rem ignoro propter quam reprehendor, vel crimen quod mihi datur non liquet?‘ Mihi vero illud ‚quamobrem‘ quo anus utitur nequaquam illo sensu adhibitum esse videtur, sed mulierem indicare puto causam, quae virum permoverit, ut certum quoddam crimen in se inferret sibi obscuram esse. Si enim Sostratam argumentum accusationis, ut ita dicam, sive causam cur adversari viro dicatur nescire sumimus, ipsa ratione ac natura ea videtur ad id cogi, ut eam sciscitari velit. Itaque etiamsi concedamus perturbatam illam esse magna vi irae criminantis mariti, dum v. 9 sq. „Non ita me di ament e. q. s.“ interloquitur, qui tandem v. 11 dicere potest immerito se a sene accusatam esse id postmodo eum esse resciturum? Nunc certe exspectandum est porro eam quaerere, qua in re viro adversetur. Sed id neque facit et sese purgatum iri promittit, ab adversandi crimine scilicet. At quid opus erat defensione in hac vaga incusatione? nonne satis erat eam hoc se deliquisse negasse? Si quis autem putet, facultate quadam divinandi veram causam, quae maxime iram Lachetis commovit quaque permotus anum repugnandi studii incusavit, videlicet odium Philumenae, mulierem quasi animo praesensisse, antequam homo eam aliquo modo designaverit (quod, si versum 4 delemus, versibus 13 sqq. prolatis demum facit), ut ab falsa suspicione odisse se Philumenam mulierem defendi se posse speraret, tum equidem eam non Sostratam sed Pythiam fuisse dicam. Nam Lachetem ante id tempus, quo haec scaena agitur, uxorem nondum convenisse neque de illa discessione Philumenae egisse et inde apparet, quod proximo demum die rure in urbem venit, quo die cum uno patre nurus collocutus esse videtur cf. I 2, 115 sq., et quod causam irae in hac ipsa scaena (II 1) versibus 22: „Jam pridem equidem audivi cepisse odium tui Philumenam“ et 24: „Sed non credidi adeo, ut etiam totam hanc odisset domum“ disertis verbis detegit.

Quartum, cur Bentleius versum 4 damnandum esse judicabat, erat, quod senex verbis „omnes socrus oderunt nurus," quae ambigue dicta essent, tam Sostratam quam Philumenam culpare videretur. Quam mentem Lachetis non esse id ipsa fabula, per quam Sostrata tantum ab eo incusaretur, evinci.[9]) Primum igitur in universum videamus, versusne ex eo vitio vere laboret, an Bentleius fortasse non satis recte qua ratione cum reliquis verbis Lachetis cohaereat intellexerit.

Non autem nunc quaerimus, utrum re vera *ἀμφιβολία* in versu 4 omnibus temporibus infuisse dicenda sit, ut semper dignosci nequiret utra maxime mulier utram odisset, an librarii potius vel turbantes ordinem verborum vel aliquot eorum negligentia praetereuntes eam versui obtruserint, sed ea re paullisper intermissa paucis demonstrare conabimur, ambiguitatem non solum excusationem suam habere defendique posse, sed etiam eam in hoc versu non minus aptam esse quam aliis locis hujus scaenae. ubi aeque conspicitur. Namque non prorsus verum esse videtur, quod Bentleius opinatur, senem in hac fabula unam Sostratam culpare, sed quamquam causam summam et originem irae in socru positam esse dicit, non plane tamen Philumenam ab omni inimicitiarum culpa liberat. Hanc enim v. 18 sqq. non minus quam anum vituperat dicens:

„An quía ruri esse crébro soleo, néscire arbitrámini
Quo quísque pacto hic vítam vostrárum éxigat?
Múlto melius híc quae fiunt quam ílli ubi sum adsidué scio:
Ideo quia, ut vos míhi domi eritis, proínde ego ero famá foris."

Vel si id quis infitietur, quoniam cum sola Sostrata loquatur, tamen indignatur certe de ratione, qua altera mulier

---

[9]) Ceterum vir praeclarissimus ne in hac re quidem plane sibi constat, cum supra de versu 5: adversandi crimen non ad socrus et nurus, sed ad omnes mulieres spectare scripserit. Nam qui versu 4 solas socrus culpari putat necesse est versu 5 omnes mulieres non socrus solas vituperari dicat.

cum altera consueverit. Num quidquam aliud statuendum est eum verbis „omnes socrus oderunt nurus“ facere? Denique quod ipsam rem quae Bentleio offensioni est, quod scilicet senex nurum nequaquam odisse dixerit, tangere videtur proferam: nonne idem Laches v. 22

„Jam pridem equidem, aiens, audivi cepisse odium tui
Philumenam“

id ipsum clare ac distincte pronuntiat atque etiam nurum initium litigandi fecisse indicat? Sed ne tum quidem Sostratam injuriam illi fecisse, senex cogitare videtur pergens v. 24 Philumenam animo ab anu adeo averso fuisse, ut vel unam cum illa domum habitare non posset.

Sed paullo diligentius animos attendamus ad verba Bentlei, qui non solum versum 4 delendum esse censet propter ambiguam rationem, qua sermo sit de odio mulierum, sed etiam Donatum scribentem: „Necessaria sententiae ἀμφιβολία ad describendam utramque personam“ frustra laborasse putat, ut versum tutaretur. Ipse enim explicationem Donati secutus Philumenam, ut supra vidimus, accusari negat. Nobis igitur non solum id fieri posse et senem paullo infra id fecisse demonstrare opus erat, sed etiamnunc obscurum est, rectene se habeat interpretatio illius grammatici, quem semper optime sententiam poëtae intellexisse nulla re cogimur arbitrari. Primum autem videamus, num Bentleius ipse dicens „ex hoc Donati colore et excusatione senex hic tam incusat et culpat nurum Philumenam quam uxorem Sostratam“ prorsus recte verba commentatoris Terentiani perceperit. Mihi quidam eam sententiam Donati fuisse e nullo ejus vocabulo apparere videtur. Non enim necesse est, ut describendi vocem illum eodem modo adhibuisse dicamus, quo exempli gratia ab Horatio epist. II 1, 154, sat. I 4, 3 cum mala notione notandi et vituperandi scripta est, sed aptius erit vulgatiore ratione eam positam esse dicere, qua Cicero or. 40, 138 „hominum sermones moresque describere“ et Nepos Att. 18, 6 „facta versibus describere“ usi sunt. Hoc si sumimus Donati sententia haec fere fuisse videatur: ‚verba

Lachetis „omnes socrus oderunt nurus“ necessaria ambiguitate ea de causa proferuntur, quod utramque personam, alteram mulierem alteram, odisse senex aegre fert.‘

Quodsi denique in eam rem inquirimus, utrum ambiguitas in illo versu a poëta admissa tantum et nobis ferenda sit an vere necessaria, id quod Donatus sensit, illud quidem jam satis me demonstrasse existimo. Non solum vero illud dicendi genus aeque bene hoc loco ferri posse quam v. 18 sqq., sed etiam ad hunc locum quam maxime aptum esse videtur. Non satis commode enim Terentius locutus esse videretur, si senem primum de omnibus mulieribus querentem in scaenam introduxisset, atque cum ad solas socrus appellandas descendisset, generaliore rursus genere dicendi usus esset verba faciens de feminis, quaecunque viris nuptae essent. Supra enim jam satis me exposuisse puto, qua de causa transitus a socribus nuribusque conjunctim nominatis melius fiat, quam si poëta, cum aliquid de solis socribus praedicasset, locutus esset de malis moribus uxorum.

Quam ambigue eloquendi rationem Fleckeisenus, cum metrum versus sic restitueret:

„Itaque ádeo uno animo omnés socrus omnís suas
oderúnt nurus,“

sustulit, quod ita socrus tantummodo odium capere dicuntur. Ea autem versus qui in codicibus nostris legitur emendandi via non modo ob illam causam quam supra dixi, quod ambiguitas naturae totius eloquendi generis quo Laches utitur accommodatissima esse videtur, non magnopere mihi probatur, sed non injuria in eo versu aliquis potest ea vitia vituperare, quae Bentleio non satis recte in conformatione qua ille traditur offensioni fuisse vidimus. Namque et male infertur post eas res, quibus omnes mulieres sibi incommodo esse Laches dicit, exhibitas culpa certa quaedam qua socrus solae laborent, et versu 5 fere nullo indicio facto cogimur, ut senem de omnibus uxoribus loqui cogitemus, quia in culpandis socribus eum non pergere inde apparet, quod non omnes socrus viris suis

adversari possunt, sed eae tantummodo, quarum mariti etiam superstites sunt. Certe vero audacius fuisset, si Laches socrus omnes eadem vitae condicione qua suam uxorem uti tacitus sumpsisset. Accedit quod non facile elucere videtur, quomodo verba „omnis suas," quae Fleckeisenus ut a librariis negligentia praeterita in numerum ceterorum inseruit, exciderint. Non enim credas praestricta oculorum acie eos illa praetermisisse, cum ductus litterarum neque vocis „socrus" quae antecedit neque ejus quae sequitur „oderunt" illis ipsis admodum similis sit. Neque grammaticorum consuetudini id respondisse videtur sententiam tam planam tamque facilem intellectu in eam commutari, quae ut ambigue dicta paullo obscurius proferretur.

Denique Hieronymus ambiguum eloquendi genus quod in versu conspicitur vere Terentianum esse confirmat duplici testimonio, quorum alterum in capite septimo commentarii in Michaeam (vol. III. p. 1550 ed. Bened.) hoc modo extat: „Terentius in Hecyra: ‚*Quid est hoc?* [10]) inquit *omnes socrus oderunt nurus*'; quod quamquam ambiguum sit, tamen propemodum naturale est, ut nurus socrum et socrus oderit nurum." Ex hac igitur explicatione poëta senem dicentem facit: ‚omnes mulieres, quae socrus vel nurus sunt, mutuo inter se odio dissident,' quae sententia et inter versum tertium quintumque quadrare et, ut supra exposuimus, cum reliquis verbis quae senex de eadem re in hac scaena facit concinere videtur. Simul auctor Donati disciplina eruditus (cf. test. ad Eun. prol. 41) clarius etiam distinctiusque quod ille senserat exponit.

Altero loco Hieronymi, qui est in libro adversum Jovinianum (vol. IV² p. 191 ed. Bened.) scripto, haec leguntur: „Ut scias illud verum esse Terentii, quod consulto ambigue extulit: ‚*Quid est hoc? omnes socrus oderunt nurus*'." Bis igitur scriptor ecclesiasticus versum in codicibus nostris aperte corruptum

[10]) Bentleius et Umpfenbachius Vallarsium secuti paullo secus verba ita collocant: „Quid hoc est." Mihi vero scriptura editionis Benedictinorum, ut quae cum lectione alterius loci Hieronymiani congruat, praeferenda esse videtur.

multum a lectione eorum additis verbis „Quid est hcc?“ et omissis „Itaque adeo uno animo“ discedens eadem ratione servavit. Cum autem ea vocabula, quae in libro Bembino reliquisque extant, ad metrum iambici octonarii rite complendum nequaquam satis sint, necesse est, ut locum sanare conemur, addamus illa, quae Hieronymus unus exhibet: „Quid est hoc?“ Quae quamvis Umpfenbachius praef. p. XLIX versui medicinam afferre neget, tamen equidem ita de salute ejus despero, si ordinem vocabulorum, quem codices praebent, retinemus. At quia saepissime et in Bembino et in libris recensionis Calliopianae perverse collocata vocabula propter metricam vel grammaticam rationem transponenda esse videmus (cf. Eun. IV 3, 23. 4, 33[b]), octonarium iambicum praemissis verbis quae ex locis Hieronymi accedunt, atque duarum vocum sedibus mutatis sic restituendum esse puto:

„*Quid ést hoc?* itaque adeo úno animo omnes óderunt socrús nurus.“

Is versus caesuram in medio pede quinto habet, quo genere Terentium plerumque usum esse dicunt: G. Hermannus elem. doctr. metr. p. 160; Kraussius mus. philol. Rhenan. VIII p. 554. Idem Kraussius, vir doctissimus, p. 556 saepius unum anapaestum ab altero apud Terentium in octonariis iambicis excipi docet, ut verba ‚adeo uno animo omnes‘ quod ad metrum attinet recte se habere intelligamus. Ceterum collocatio verborum, quam supra institui, sola, quantum circumspicere potui, metro apta est.

Quamquam ea ratione e vocabulis quae nobis ut Terentiana traduntur justum versum componi posse cognovimus, multa tamen restant, quae nos prohibere videntur, quominus poëtam ipsum eum versum scripsisse nobis persuadeatur. Primum autem video non abesse eum qui dicat, verba ‚quid est hoc?‘ ab aliquo homine, qui sententiam versus ambigui non percepisset, margini adscripta esse videri. Ab illo nunc id solum petimus, ne sententiam praemature in nos ferat neu ante

judicium faciat de hac re, quam omnes causas quae nos adducunt, ut illum octonarium a poëta oriundum esse existimemus, aperuerimus.

Supra cum de ratione, qua versus 1—7 hujus scaenae compositi essent, deque sententiarnm inter se connexu ageremus, Sostratam mulierem, ad quam omnia quae senex profert pertinent, praesentem in scaena esse sumpsimus. Quod ut majore cum fiducia affirmem commoveor ea re, quod senex v. 7 pronomine „hanc“ adhibito illam ipsam appellat, nulla mentione antea facta eam in scaenam, dum loquatur, prodiisse. Ubi igitur Laches versibus 1—3 de conjuratione mulierum conclamare incipit, nonne anus animadvertit illa in se intendi? Attamen tacet. Sed his querelis nondum adeo perterrita esse potest, ut nullam vocem edere audeat. Mirumne est eam nihil non dico respondere — hoc enim difficile sit, cum iratus senex verba celeriter effundens non locum multa loquendi uxori dare videatur — sed ne interpellando quidem quidquam inter querelas viri, priusquam is peroravit, inserere? Quod in fabulis Terentianis fere semper fieri videmus atque tum maxime, si quis verbis in universum prolatis sermonem incipit, e quibus is qui audit nihil intellegit nisi illa ad se spectare. Legimus exempli gratia Andr. I 5, 1 sqq. haec verba irati Pamphili adolescentis:

„Hocinést humanum fáctum aut inceptum? hócinest officiúm patris?“

Ad quae Mysis ancilla apud quam ille loquitur dicit v. 2: „Quid illud est?“; sed juvenis irae obsequens nulla ejus ratione habita pergit:

„Pro deúm fidem, quid est, si hóc non contuméliast?
Uxórem decrerát dare sese mihi hódie“ e. q. s.

Porro Pythias ancilla Eun. IV 3, 1 sqq. clamat:

„Úbi ego illum scelerósum misera atque ínpium inveniam? aút ubi quaeram?
Hócine tam audax fácinus facere esse aúsum!“

Jam Phaedria adolescens interponit: „Perii: hoc quíd sit vereor.“

Illa autem nescia eum adesse adicit querendo:

„Quín etiam insupér scelus, postquam e. q. s."

Cf. praeterea Pho. I 3, 1 sqq. Eun. V 6, 1 sqq. Quibus exemplis commotus talium scaenarum initia plerumque ita composuisse Terentium existimo neque aliud quidquam de initio Hec. II 1 statuendum esse videtur. Assignemus igitur verba ‚quid est hoc' Sostratae mulieri interponenti ea inter verba senis. Jamque additis notis, quae in libro Bembino Lachetem et Sostratam loqui indicant, versum 4 hac ratione refingemus:

„*Φ Quid ést hoc? B* Itaque adeo úno animo omnes óderunt socrús nurus."

Sostratam hoc loco verbis „quid est hoc?" indicare se non perspicere, quid Laches velit, facile nobis probatur, si aliis locis eodem modo poëtam locutionibus „quid illud est?" (Andr. I 5, 2) „quid istuc est?" (Andr IV 1, 21) „quid hoc aútemst" (Eun. V 6, 4) similibus (Andr. III 2, 9. IV 2, 3. Eun. V 4, 22. Heaut. I 2, 6) usum esse reputamus.

At evellendus nobis est unus etiam scrupulus, quo impedimur, quominus ea ratione Terentium versum 4 composuisse putemus. Nondum enim exposuimus, quomodo e pleno ac justo illo octonario lectio codicum Terentianorum quibus nos utimur originem duxerit neque qua re Hieronymus permotus esse potuerit, ut verba Terentiana et nonnullis „itaque adeo uno animo" omissis et sic citaret ac si ejusdem personae essent. Utraque vero res ita facile expeditur, ut sumamus a librario codicis, e quo et omnes nostri et libri Hieronymi vel Donati fluxerunt, ineunte versu 4 notam *Φ*, qua Sostratam loqui designabatur, per negligentiam, fortasse quod oculorum acies simili littera *Q* quae sequitur decipiebatur, praeteritam[11]) et sedem verborum ‚socrus oderunt' mutatam esse. Namque si in illo libro haec scripta erant:

‚Neque declinatam quicquam ab aliarum ingenio ullam reperias!

[11]) Non raro id factum est a scriba libri Bembini: cf. Hec. V 1, 27. 2, 4.

Quid est hoc *B* itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus'

(apud Hieronymum et Donatum enim non minus perverse verba ‚socrus oderunt' collocata sunt quam in nostris libris), is qui codicem, a quo liber Bembinus et codices recensionis Calliopianae pendent, scribebat non jam intelligens, quid illud ‚quid est hoc' in reliquorum verborum continuatione significaret. idem credidit quod supra jam posuimus; id est: vocabula illa ab homine ad marginem adscripta esse, quia sequentium sententiam non intellexisset. Pro ea opinione non recepit illa in exemplum, quod conscribebat et Lachetis notam ut supervacaneam omisit. Is autem librarius, qui codicem archetypum eorum quibus Donatus et Hieronymus utebantur confecit, cum verba ‚quid est hoc' Sostratae esse ignoraret, seni ea esse tribuenda arbitrabatur. Quo errore ductus et ipse Lachetis notam praeteriens hoc modo versum 4 exarasse videtur:

‚Quid est hoc itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus'.

Neque licet dubitare, quin vocabula „itaque adeo uno animo" omissa illa ab Hieronymo vere Terentiana sint, quoniam in hunc versum sententiamque optime quadrant atque omnino ea dicendi usui Terentii respondere ex Adelph. IV 5, 76 apparet, ubi verba „itaque adeo" plane eodem modo adhibita sunt, quam in eo versu de quo nobis sermo est. Ibi enim Aeschinus adolescens de patre suo dicit:

„Hic nón amandus? hícine non gestándus in sinú est? hem:
Itaque ádeo magnam mihi ínicit sua cómmoditate cúram" e. q. s.

Statuendum igitur est Hieronymum verba Lachetis in v. 4 Hec. II 1 negligentius etiam quam Donatum, qui quamquam in lemmate Hec. II 1, 4 „itaque adeo" se legisse testatur, tamen ad II 3, 1 sic ea citat: „itaque uno animo omnes socrus oderunt nurus", ita excerpsisse, ut praetermitteret ea, quae omis-

sa ei non multum sententiae videbantur officere. Ceterum non magis accurate eum Eunuchi prologi versus 8 et 41 attulisse supra vidimus.

Quodsi Hieronymi ope versus 1—5 Hecyrae II 1 sic restituendos esse censemus:

B „Pro deum átque hominum fidém, quod hoc genus est, quae haéc est conjurátio!
Utin ómnes mulierés eadem aeque stúdeant nolintque ómnia
Neque déclinatam quícquam ab aliarum íngenio ullam réperias!
Φ Quid ést hoc? B Itaque adeo úno animo omnes óderunt socrús nurus,"

videndum etiam est hoc, utrum in fabulis Terentianis factum sit, ut aliquis ab eo in quem invehebatur interpellatus nullam interlocuti ratione habita in objurgando perseveraret, necne. Namque initia duarum scaenarum quae supra proposui ab eo quod tractamus ita discrepant, ut in altero (Andr. I 5) is cui juvenis irascitur non adsit, in altero vero (Eun. IV, 3) Pythias ancilla neque Phaedriam de quo queritur in scaena praesentem esse sciat neque omnino audiat quae ille solus secum loquitur, Hec. II 1, 4 et in scaena adsit Sostrata et a sene animadversa sic loquatur, ut is interrogantem accipiat. Atque quamquam propius quam illae scaenae ad ejus loci similitudinem accedit Eun. IV 6, 15 sqq., ubi duae mulieres, postquam Thais Pythiam ancillam jussit: „Abi tú, cistellam, Pýthias, domo éffer cum monuméntis" et Chremes formidolosus dixit: „Viden tu íllum, Thais", prius hoc modo: „Py. Úbi sitast? Th. In rísco: odiosa céssas" colloquendi finem faciunt, quam juvenis proloquitur quod vult: „Mílitem secum ád te quantas cópias addúcere?", tamen ne hujus quidem loci natura, quippe quo tres non duae personae agant, adeo prorsus cum conditione Hecyr. II 1, 4 concinere videtur quam Andr. III 2, 25.

Qua in scaena cum Simo senex obstetricem Pamphilo puerum natum esse e Philumena quam amabat clamantem

audiverit, arbitratus rem non vere ita se habere, sed consiliis doloque Davi servi id sic institutum esse, ne pater adolescentem cogat ut Chremetis filiam in matrimonium ducat, callidus servus confirmans senem in falsa opinione, ut quod verum est celetur, se fallaciam mulierum praenuntiavisse eroque se fidum esse studet demonstrare. Pro qua mente dicit v. 23:

„Non sátis me pernosti étiam, qualis sím, Simo".

Respondet senex „Egone té?" Ille pergit v. 24 sq.:

„Sed si quid tíbi narrare occépi, continuó dari
Tibi vérba censes: Si. fálso. Da. itaque níhil jam
muttire aúdeo."

At senex diffidens tantum de sententia detrahit ut dicat: „Hoc égo scio unum, néminem peperísse hic"; eo modo indicans nequaquam sibi persuasum esse e Davo hanc fraudem non esse ortam, sed nunc se dijudicare nolle, utrum ab illo an a mulieribus puerperium inventum et fictum sit.

In omnibus codicibus continuus sermo Davi in versu 25 interrumpitur vocabulo „falso" a Simone interjecto. Quod cum Donatus ita interpretetur, ut vel ad id cogitando addendum sit „loqueris" vel sola pronunciatione significandum senem non revera sententiam mutavisse, sed εἰρωνικῶς loqui, Bentleius vir doctissimus et praeclarissimus neutram harum explicandi rationem sibi satisfacere testatus Terentium non fecisse senem interponentem vocem, quae tam nihili sit, sed totum versum servi esse voluit testimoniis usus Heautont. II 2, 27 ubi „falso suspicarier" et Hec. V 2, 11 in quo „suspectas fuisse falso" legitur, itemque hoc loco „censes falso" conjungendum esse aiens. Fleckeisenus et Umpfenbachius in hac mutatione, quae levis esse videtur, viro illustrissimo assensi sunt. Nobis vero quamquam concedendum est poëtam id quod Bentleius vult scribere potuisse, tamen non simplicissima illa ratione versum composuisse videtur, sed vividiorem colorem, qui in colloquio inter astutum servum et senem, quem Bentleius hominem naris emunctae vocat, inde a versu 18 usque ad 26 conspicitur, magna cum arte in versum 25 quoque perfudisse existimamus.

Primum enim equidem non video, qua re homo grammaticus quisquam commotus esse potuerit, ut in locum facillimum ad intelligendum additis personarum notis satis magnam explicandi difficultatem inferret. Neque si librariorum negligentia ineuntibus versibus haud raro, quod supra vidimus, personarum notae perperam vel addebantur vel omittebantur, idem statuere licet de eis, quae in mediis versibus ponendae erant, quamvis has quoque perfacile inter se commutatas esse cogites. Atque etiamsi fieri poterat, ut vel ibi notae personarum omitterentur, nullo modo tamen perspici posse videtur, qui illi versui de quo agimus inditae sint, cum praesertim in libro, qui ad hanc Andriae partem restituendam optimus est, Victorianum dico, satis dissimiles sint litterarum quae antecedunt et subsequuntur: „censes *A* falso *Γ* itaque."

Itaque nobis considerandum est, quo sensu illud „falso" a Simone dictum sit. Cum autem Bentleius hoc verbum non tanti esse, ut a sene interponatur, contendat, mihi contra, si alteram explicandi rationem Donati, qua pro „falso loqueris" adhibitum sit, sequamur, nimia ei vis inesse videatur, quia Simo, ut supra diximus, sententiam se non mutasse neque sibi persuasum esse a Davo se non falli versu 26 et omnino reliquis verbis, quae in hac scaena dicit (cf. v. 44 sq.), satis dilucide aperit. Sed quod ad alteram interpretationem quam Donatus proponit attinet, ut ‚falso' *εἰρωνικῶς* pronuntietur, equidem non perspicio, cur Bentleius talem sententiam nihili esse dixerit, nisi hoc voluit, ironicam mentem Simonis in illo uno vocabulo non apparere. Fortasse eam probasset, si addita particula nimirum vel videlicet a Terentio scriptum fuisset: ‚hoc nimirum falso'; ‚falso videlicet (id censeo).' Attamen ad sententiam senis illustrandam nequaquam tali particula mihi opus esse videtur, sed optimam viam et interpretationis et pronuntiationis, quae nulla litterarum codicum mutatione fit, eam esse arbitror, ut non solum, quod Donatus proposuit, senem illam vocem *εἰρωνικῶς* sed simul etiam interrogative efferre statuamus.

Id quod nostris temporibus scribendo ita indicari licet, ut interrogationis signum addamus:

Da. „Sed siquid tíbi narrare occépi, continuó dari
Tibi vérba censes: Si. Fálso? Da. Itaque hercle níhil
jam muttire aúdeo.“

Ac ne interrogandi particulam non minus requiras, quam Bentleius ironiae signum desiderasse videtur, conferas nonnullos locos Terentianos, quos ex Heautontimorumeno collegimus, ubi non magis quam in illo Andriae versu ad unum vocabulum interrogative pronunciandum eam particulam adjectam esse invenies: IV 1, 18: So. „Quid ego feci? Ch. Rogitas? So. Si peccavi“ e. q. s. III. 1, 22 sq.:

Me. „Meus gnatus? Ch. Sic est. Me. Venit? Ch. Certe.“

Cf. praeterea II 3, 70. 90.

Porro quamvis ‚falso suspicari,‘ ‚falso queri,‘ similia saepissime ab auctoribus latinis conjuncta sint, non raro tamen apud optimos scriptores „falso“ nullo verbo addito invenitur. Velut apud Cornelium Nepotem in vita Alcibiadis legimus: „Alcibiades in Thraciam se abdidit sperans ibi facillime fortunam suam occuli posse. Falso: nam Thraces insidias ei fecerunt.“ Apud Ciceronem de off. III 18: „Atqui in talibus rebus aliud utile interdum, aliud honestum videri solet. Falso: nam“ e. q. s. Etiam Andr. IV 1, 45 Chremes orationi Davi interponit unum leve vocabulum:

Da. „Decéptus sum, at non défetigatús. Ch. Scio.
Da. Hac nón successit, ália adgrediemúr via.“

Denique sicut v. 24 senex ad Davi verba:

„Non sátis me pernosti étiam, qualis sím, Simo,“

quaerit „Egone te?,“ ut cogitando addendum sit ‚non pernovi,‘ eodem modo v. 25, si verbum „falso“ recte intelligere volumus, ‚censeo,‘ quod ex antecedentibus verbis Davi qui dicit:

„. . . . . continuo dari
Tibi verba censes“

depromendum est, mente mihi adiciendum esse videtur.

At redeamus ad Hecyrae locum (II 1, 3 sq.), quem sa-

nare conati sumus. Duabus rebus ei locus, qui Andr. III 2, 23 sqq. extat, similis esse videtur. Non solum enim Davi oratio ibi a Simone interrogante „Egone te?“ et „Falso?“ interrumpitur ita, ut servus nihil ad ea quae senex rogat respondeat, sed dicendo pergat, verum etiam servus, cum iterum interpellatus sit, conjunctione ‚itaque‘ eodem modo quo Hec. II 1, 4 adhibita ad finem dicendi faciendum transit. Neque ὁμοιοτέλευτον quod in verbis ‚socrus nurus‘ conspicimus a Terentio alienum esse videtur, quoniam Heautontim. I 1, 28:

„Mihi síc est usus: tíbi ut opus factóst facé“

cognatam figuram μεταχλίσεως eodem modo syllabis finalibus in fine versus ictu elatis adhibitam et omnino saepe poëtam similibus dictionibus usum esse animadvertimus. Cf. Eun. prol. 27. Bentl. adnot. ad Heaut. V 2, 36.

‚Sed, dicat aliquis, quod tu supra de Andriae loco simili illi Hecyrae monuisti, Davum conjunctione ‚itaque‘ usum post interpellationem senis transire ad finem orationis faciendum, id in Hecyrae II 1, 4 oculis nostris non occurrit, cum Laches versu 5 sqq. denuo culpare incipiat. Unde, quia multo magis senex Sostratae verba negligit quam Davus id quod Simo dicit, sequi videtur Sostratam verba illa „quid est hoc?“ non locutam esse.‘

Verum haec speciosius quam verius mihi prolata esse videntur. Nonne enim Andriae locus totus ea re dispar est ei initio Hecyrae II 1, quod ibi senex et servus colloquuntur, hic Laches paene solus loquitur ita, ut per totam fere scaenam mulierem objurgando propemodum obtundat? Quam maxime vero uterque locus inter se ea re congruere videtur, quod sicut Davus Andr. III 2, 25 iterum a sene interpellatus id dicit quo maxime Simo moveri possit, eadem ratione Laches quaerenti uxori „Quid est hoc?,“ cum supra de omnibus mulieribus questus sit, gravissimum nunc crimen obicit dicens omnes socrus nurusque alterae alteras odisse. Qua re illam inconcinnitatem quae Bentleium in sermone senis male habet, ita explicare et expedire possumus, ut dicamus Lachetem inter-

pellatione Sostratae commotum ab instituta ratione, qua (v. 1—3) in omnes mulieres invehitur, versu 4 digredi, sed denuo incipientem:

„Viris ésse adversas aéque studium est, símilis pertinácia est“

ita in viam suam redire, ut de omnibus uxoribus verba faciat.

Quae cum disputassem, Leopoldus Schmidtius, vir doctissimus et humanissimus, ambiguitatem illam, qua equidem utrum ‚socrus‘ an ‚nurus‘ subjectum enuntiati sit in suspenso relinquendum esse statueram, neque ab ingenio et indole linguae latinae ferri neque e grammatica ratione excusari posse monuit. Sed tamen illis vocabulis commate inter ‚socrus‘ et ‚nurus‘ posito subveniendum esse hoc modo:

S. „Quid ést hoc? L. Itaque adeo úno animo omnes óderunt socrús, nurus.“

Quo levissimo interpretandi subsidio adhibito facile apparet „omnes“ subjectum ita esse, ut Laches velut uno tenore de omnium mulierum (cf. v. 2 et 6) vitiis queratur. Simul autem *ἀμφιβολίαν* quandam sententiae, qua senex et Sostratam et Philumenam nurum vituperat, et propter quam causam verbum „socrus“ transpositum esse videtur, restare intelligimus.

Sententiae controversae.

I.

Versus Terentianus Eun. III 5, 12 hac ratione sanandus esse videtur:

„An. Quíd taces? Ch. O féstus dies *hujus* hóminis! *a* amíce, salve:
Nemóst quem“ cett.

II.

Teuffelius cum scriberet hist. litt. latt. 16, 8: „Der Prolog enthielt der Regel nach die Darlegung des Inhalts des nachfolgenden Stückes (Ter. Andr. prol. 5 ff.)“ non satis recte Terentium in partes suas vocavit.

III.

Genetivus singularis substantivorum secundae declinationis in **ius** et **ium** terminatorum antecedente consonanti etiam e scribendi usu temporum imperatorum simplici littera i exarandus est.

IV.

Conjectura Meineki codicum lectionem Horat. epist. I 5, 11 ‚aestivam‘ demutantis in ‚festivam‘ probanda non est.

V.

Eodem loco v. 9 sq. verbis:

„cras nato Caesare festus
Dat veniam somnumque dies"

non C. Julii Caesaris sed Caesaris Augusti diem natalem designari existimo.

VI.

In Euripidis Med. vss. 1188 sq.

πέπλοι δὲ λεπτοί, σῶν τέκνων δωρήματα
λευκὴν ἔδαπτον σάρκα τῆς δυσδαίμονος

Nauckius stud. Eur. 1 p. 133 lectionem librorum *λεπτήν* a conjectura Musuri *λευκήν* defendere frustra conatus est.

VII.

Locum Medeae Euripideae vss. 1386—88, Nauckio jure suspectum (cf. Eurip. Stud. 1 p. 138), ita emendari posse judico, ut versus 1387 secludatur.

Corrigenda.

In pagina	13	lin.	15	pro	aput lege apud
„ „	14	„	19	„	Varonem lege Varronem
„ „	16	„	21	„	Phormiouis lege Phormionis
„ „	17	„	22	„	gravissmnm lege gravissimum
„ „	17	„	28	„	subsec I. 5 lege subsec. I 5
„ „	18	„	23	„	dédísti lege dedísti
„ „	18	„	27	„	commodum lege cómmodum
„ „	20	„	21	dele	comma post „commodum"
„ „	33	„	21	pro	defici lege deficere
„ „	34	„	4	„	gerere lege genere
„ „	34	„	9	„	versu lege versui
„ „	34	„	20	„	nupserint lege nuptae sunt
„ „	36	„	33	„	possimus lege possemus